COLLECTIO

RERUM LITURGICARUM

AD NORMAM

NOVISSIMARUM CONSTITUTIONUM

APOSTOLICÆ SEDIS

ET

RECENTIORUM S. R. C. DECRETORUM

CONCINNATA

A

JOS. WUEST, C. SS. R.

EDITIO ALTERA, AUCTA ET EMENDATA

BOSTONIÆ, MASS.

TYPIS CONGREGATIONIS SSMI REDEMPTORIS

1915.

NIHIL OBSTAT.

P. J. WATERS, PH. D.,

Censor Librorum.

Imprimatur.

GULIELMUS CARDINAL O'CONNELL,

Archiep. Bostoniensis.

Bostoniae, October 11, 1915.

NIHIL OBSTAT.

JOSEPH A. SCHNEIDER, C. Ss. R.,

Superior Provincialis.

Bostoniae, October 9, 1915.

LECTORI BENEVOLO.

Hujus opusculi finis non est sacram Liturgiam ex integro tractare. Compilator imprimis intendit, ut Reverendis Confratribus opellum offerat quod præsto sit ad dubia liturgica passim occurrentia absque negotio solvenda, quin majora opera consulantur. Alumnis quoque Seminariorum et Regularium Institutorum qui ad sacros Ordinis suscipiendos præparantur, opusculum nostrum magnopere commendandum videtur, quum inde multa ediscant quae ad futuram sacri ministerii praxim pertinent.

Præcipuam operam impendit compilator, ut Leges novissimæ a Sancta Sede latæ, quæ ad sacram Liturgiam spectant, breviter et accurate exponantur. Inter Leges præcipuae sunt quae de Cantu, de Matrimonio, de Festis et de Divinio Officio tractant. Pariter recentiores Decisiones S. R. C., quae easdam Leges afficiunt, notantur.

In conficienda Collectione, ut par est, praeter Leges supremae Auctoritatis, opera liturgica, praesertim Wapelhorst, Van der Stappen, Schober, Pighi-Ferrias, adhibita sunt, quorum auctoritas suis locis addita est. Demum Compilator multum gratiarum debet Adm. Revdo D. A. J. Schulte, Prof. S. Lit. in Seminario Philadelphiensi, qui in solvendis dubiis ei potissimum adfuit.

Opusculum quamvis exiguum Reverendo Clero non inutile, sed gratum, neque laborem suum inanem fore confidit.

Ilchestriae, Md. mense Aprili, 1912. J. W.

PRAEFATIO NOVAE EDITIONIS.

Integra opusculi nostri editione exhausta, de nova editione agendum erat. Interim autem a Sancta Sede novae de-

cisiones prodierunt, quae non paucas mutationes necessarias reddebant. Praeterea in aliis partibus opusculum erat emendandum, ita ut nova editio paene novi operis speciem praebeat.

In hac enim editione usus minutorum typorum qui multorum oculos offendebat fere penitus expunctus est. Ordo materiarum nonnihil immutandus videbatur. Eae partes, quae ad divinum Officium spectant, quum novae rubricae nonnumquam aliquatenus perplexae videantur, fusius tractantur. Index demum alphabeticus fere quadruplo ampliatus est.

Ita sperari licet fore, ut opusculum adeo auctum et emendatum Reverendo Clero eo magis acceptum exsistat, quod ibi opportunas solutiones dubiorum facilius reperiant, quae in sacro ministerio occurrere solent, quin ad extensiora volumina recurrant, id quod hodie post tantam Legum Liturgicarum reformationem quam maximi momenti est. Alumni quoque Seminariorum et alii tirones in rebus liturgicis succincta Legum expositione haud parum in iis addiscendis adjuvantur.

Bostoniae, Mass. mense Octobri, 1915. J. W.

INDEX RERUM.

Introductoria.

De Sacrificio Missae.

De Temporibus Anni.

Pag.

Res Diversae.

COLLECTIO
RERUM LITURGICARUM.

INTRODUCTORIA.

De Legibus Liturgicis

1—Fontes præcipui **Legum** Liturgicarum sunt: 1. Missale Romanum; 2. Breviarium Roman. cum Martyrologio Romano; 3. Cæremoniale Episcoporum; 4. Pontificale Romanum; 5. Rituale Romanum; 6. Memoriale Rituum Bened. XIII; 7. Instructio Clementina; 8. Decreta Sacr. Rituum Congregationis.

Ad observantiam Cæremonialis Episc. omnes ecclesiæ tenentur. S. R. C. 3839. 1.

2.—Breviario accensendum est Octavarium Romanum, quod est collectio a S. R. C. approbata Lectionum II et III Nocturnorum quæ recitandæ sunt infra octavas festorum patrocinalium, quæ in Breviario non habent octavam. Sumi possunt absque indulto. S. R. C. 3624. ad IV.

Quoad **Decreta** S. R. C. observanda sunt:

3.—Novam Collectionem Decretorum S. R. C. die 16 Feb. 1898 solam authenticam declaravit Leo XIII; primam ejusdem Collectionis Appendicem Pius X, die 24 Aprilis 1912, pari modo sancivit.

4. Decreta S. R. C. sunt vel *generalia* vel *particularia.* Priora sunt 1° *Formaliter* generalia, sc. "Decretum generale" vel "Urbis et Orbis," quæ expressis verbis pro universa Ecclesia edita sunt.

2° *Æquivalenter* generalia, quæ ad petitiones particularium data, jus commune declarant, e. g. si a particulari postuletur, quo sensu intelligenda sit aliqua Rubrica.

5. *Particularia* sunt, si de casu omnino particulari agitur.

Præterea notandum est. Decreta, licet ad particularium instantias quæsita sint, ad normam et exemplum pro iisdem et similibus casibus in Ecclesia universali deservire. S. R. C. 3945.

Observandum.—Gratiæ et exceptiones particulares, quæ verbis "pro gratia" vel "tolerari posse" conceduntur, ad universalem Ecclesiam extendi non possunt.

6.—Decreta S. R. Congregationis sunt directiva, quando consilium vel licentiam dant hisce vel similibus verbis: *laudabilius esset, convenit, concedi, tolerari, permitti potest.* Sunt autem

Præceptiva, quando præcipiunt vel prohibent hisce verbis: *servandum esse, eliminandam esse consuetudinem, ita rescripsit et servari mandavit.*

Reliqua quæ ad obligationem legum liturgicarum spectant Theologia moralis docet.

7.—Sensus quarumdam formularum, quæ in responsis S. R. Congnis usitatæ sunt et obscuriores videntur.

1° *Affirmative* vel *negative, in casu de quo*

agitur; — *prout jacet.* Excluditur applicatio pro casibus similibus.

2° *Affirmative* vel *negative, et ad mentem;—juxta mentem.* Annexa est monitum aut elucidatio; ordinarie sequitur: *Et mens est.*

3° *Affirmative* vel *negative, in decisis, et amplius, in decretis.* Causa jam satis discussa, et amplius proponi vetatur.

4° *Nihil.* Petitio non admittitur.

5° *Lectum; relatum.* Postulatum lectum, sed non admissum.

6° *Dilata.* Responsum differtur; nonnunquam additur: *Scribat alter; Iterum proponatur; Dubium reformetur.*

7° *Dentur decreta; juxta alia decreta.* Dubium jam fuit solutum. Plerumque Decreta citantur.

8° *Provisum in primo;—in secundo.* Si plura dubia simul proponuntur, responsum ad subsequens dubium in præcedente jam est datum.

9° *Reponatur.* Non datur responsio, sed petitio reponitur in Archivis S. Congregationis.

10° *Detur decretum generale.* S. Cong. rem satis gravem judicat, ut edatur decretum generale.

11° *Serventur Rubricæ.* Est formale mandatum. Fiat tantummodo quod Rubrica præscribit, nihil mutando, nihil addendo, nihil omittendo.

12° *Obstant decreta.* Petitio denegatur, utpote contra decreta prius edita.

13° *Facto verbo cum Sanctissimo.* Quando de re graviori agitur, rescriptum S. Congnis refertur Summo Pontifici.

14° *Consulat probatos auctores.* Quando S. Cong. opportunius judicat a decreto ferendo abstinere, remittit postulantes ad probatos auctores et leges

moralis prudentiæ. Aliæ formulæ satis claræ sunt. Cf. V. d. St. tom. I. 9. 14. Marc, *Inst. Mor. Alph.* vol. II. app. 2.

8.—Quoad **Consuetudines** notanda sunt: Consuetudines Rubricis CONFORMES servari *debent*, si sint præceptivæ; servari *possunt*, si sint directivæ.

Consuetudines Rubricis CONTRARIÆ per se sunt tollendæ. Notat tamen Marc (Inst. Mor. Alph. n. 1638. *Quæritur.*): "Tuta conscientia, asserit Amort apud S. Alph., licet se conformare consuetudini diœcesanæ, præsertim in rebus levioris momenti, quæ non cedunt in deformitatem cultus publici. Vult equidem S. Rit. Cong. suis decretis omnem consuetudinem contrariam etiam immemorabilem abolere. S. R. C. 8 Jan. 1904. Ad vitandum tamen scandalum vel admirationem in populo debent regulariter sacerdotes Ordinarii mandatum expectare. Ipsius est enim S. Congregationi exponere varia adjuncta in quibus versatur sua diœcesis. Et S. Rit. Congregatio, quæ sibi reservat consuetudinum examen, in casibus particularibus pronuntiat servandam vel eliminandam esse consuetudinem de qua consulitur." Cf. S. R. C. n. 2646 et adnot. super hoc decreto in Vol. IV. *Coll. Auth. Decr.* p. 272.

9.—Quoad **Auctoritatem Rubricistarum** notandum est, eorum interpretationes, quum non sint authenticæ, tantum valere, quantum valeant rationes allatæ et ipsorum auctoritas. Cf. Putzer, *Comment.* n. 4.

DE SACRIFICIO MISSAE.

De Loco Celebrationis.

10.—Jure communi atque ordinario non licet Missam celebrare, nisi in **Ecclesiis** vel in **Oratoriis publicis** ad divinum cultum ab Episcopo deputatis. (Conc. Trid. sess. 22.) Præterea habentur Oratoria *semipublica* et Oratoria *stricte privata.*

11.—Oratoria publica sunt ea, quæ a *publica* via Fidelibus universim pandunt ingressum.

12.—Oratoria *semipublica*, quæ alicui communitati vel personarum cœtui inserviunt. Talia sunt, quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica, ad Instituta et Societates religiosorum, ad Convictus, Hospitalia, Nosocomia, Orphanotrophia et Carceres, necnon Capellæ in cœmeteriis ad usum Fidelium erectæ.

Oratoria *semipublica*, quando sunt consecrata aut saltem benedicta, æquiparantur ecclesiis, quoad jura Titularis. S. R. C. 4025. 5. et 14 Mart. 1903.

13. Notandum.—In Oratoriis *publicis* et *semipublicis* auctoritate Ordinarii erectis Missa celebrari licet, omnesque qui eidem intersunt, præcepto audiendi sacrum satisfacere valent. S. R. C. 4007.

14.—Oratoria *stricte privata* ea sunt, quæ in ædibus privatis in commodum alicujus personæ vel familiæ erecta sunt ex Indulto S. Sedis. Quæ si benedicantur, adhibenda est formula "Benedictionis loci" e Rituali. Altare autem non licet solemniter

consecrare. S. R. C. 24 Maji 1895. (*Anal. Eccles.* III, p. 294.)

15.—In Oratoriis privatis Missa licite celebrari nequit sine Indulto Sanctæ Sedis, et personæ in Indulto non comprehensæ præcepto sacrum audiendi inibi satisfacere nequeunt. Cf. Theol. mor.

16.—Oratorium privatum subest his CONDITIONIBUS:

1. debet omnino parietibus separatum esse ab omnibus aliis domesticis usibus;
2. debet rite visitari et examinari ab Ordinario.
3. Episcopus debet Indultum exsequi, quod ad ejus arbitrium perdurat.
4. Unica tantum in die Missa ibi permittitur.
5. Prohibetur Missa in festis solemnioribus *de præcepto* servandis. Conf. S. R. C. 3896.
6. Non potest ibi Missa celebrari, nisi adsit una saltem ex personis indultariis.
7. Oratorii privati privilegium *personale* exstinguitur cum persona indultaria; privilegium *locale* ad alium locum transferri nequit.
8. In Indulto Oratorii privati intelligitur facultas sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui sacrificio Missæ assistunt, salvis juribus parochialibus. S. R. C. 4201.

17.—Indultum formæ amplioris habent omnes Episcopi etiam Titulares: possunt nempe non solum ipsi in propriæ habitationis Oratorio, aut super altari portatili, ubicunque degunt, Missam facere aliamque in sui commodum permittere, sed etiam omnes fideles alterutram ex iisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, præceptum Ecclesiæ adimplent. S. R. C. 3906.

18.—In casu **necessitatis** licet Missam celebrare in quocunque loco decenti.

Casus necessitatis sunt: *a.*) si ecclesia sit diruta; *b.*) si quis sacerdos longum iter peragat per loca deserta, vel infidelium; *c.*) si ecclesia multitudinem populi non capiat; *d.*) si exercitus inveniatur in castris. In casu dubio Episcopus dispensare potest.

19.—Ordinarius ex justa et rationabili causa permittere potest, ut Missa celebretur in privatis domibus, non tamen in cubiculo (scil. dormitionis), sed in loco decenti. S. R. C. 23 Dec. 1912 ad I.

20.—Penes Episcopos harum Provinciarum est concedere Facultatem "celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, — per unam horam ante auroram et aliam post meridiem,—sine ministro,—et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti,—etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum,—et præsentibus hæreticis, infidelibus et excommunicatis, — si aliter celebrari non possit." (Forma I. art. 23.)

21.—Notanda.—Specialis facultas ipsius Apostolicæ Sedis requiritur ad celebrandum in navi super oceanum etc. Quæ si obtenta fuerit, liceitas a Clausulis pendet, scil. "dummodo aquæ maris, lacus vel fluminis sint tranquillæ, et alius Sacerdos vel Diaconus, si motus concitetur, calicem firmum teneat." S. R. C. n. 4069. Cf. Putzer n. 161.

Talis facultas, decreto S. R. C. n. 4221. concessa est Episcopis Americæ, Oceaniæ et Australiæ, quotiescunque Romam petituri sunt et in reditu, dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum præseferat, conditionibusque quæ supra memorantur positis. *Amer. Eccl. Rev.* 1909 p. 80.

Circa **Consecrationem** Ecclesiæ sequentia notanda sunt:

22.—Essentia consecrationis consistit in unctione duodecim crucium in parietibus. Quapropter consecratio censetur adhærere *parietibus*. Hinc ecclesia

consecrata amittit suam consecrationem, si parietes *majore ex parte* corruerint, non vero si tectum tantum corruerit.

23.—Ecclesia exstructa ex ligno, quamvis perpulchre interius exteriusque ornata, *consecrari* non potest, sed tantum solemniter benedici. S. R. C. n. 4094.

24.—Ecclesia constructa vel construenda ex materia, quæ *cæmentum armatum* (vulg. *concrete*) nuncupatur, consecrari potest, adhibita forma et ritu Pontificalis Romani, dummodo duodecim crucium loca et postæ januæ principalis sint ex lapide. S. R. C. 4240.

25.—Ecclesia, in cujus consecratione omissa fuit consecratio Altaris, est consecrata "valide; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur." S. R. C. n. 3907 ad 1.

26.—Si ecclesia ampliatur vel renovatur, pars nova, dummodo minor sit, eo ipso censetur consecrata, nec debet, nec potest consecrari etiamsi *successive* tota ecclesia sit renovata.

Quare Ecclesia, e cujus parietibus vel partim vel integre dejicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco* (*plastering, Bewurf*) ut renovetur, "consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum." S. R. C. 3545.

27.—Ecclesia, cui diversis temporibus maxima additamenta facta sunt, immo successive demolitis antiquæ Ecclesiæ parietibus, "non amittit suam consecrationem." S. R. C. 3269.

28.—Quando constat consecratam fuisse ecclesiam, sed haud una ex duodecim præscriptis Crucibus in parietibus apparet, Cruces iterum depingantur vel sculpantur, omissa unctionis cæremonia. S. R. C. 3498. Cf. S. R. C. 3584.

Quoad Ecclesiam exsecratam notanda sunt sequentia:

29.—Prohibetur Missam celebrare vel alia sacra peragere in ecclesia *polluta*, *exsecrata* vel interdicta, nisi adsit necessitas.

30.—Ecclesia vel publicum Oratorium *polluitur*:*)

1. Per homicidium *voluntarium* et *injuriosum* seu consummatum intra ecclesiam per actionem physice occisivam et sacrilegam, sive cum effusione sanguinis, sive alio modo, etiamsi mors ipsa extra locum sacrum eveniat.

2. Per copiosam *humani sanguinis* effusionem, ortam ex percussione aut vulnere gravi in ipsa ecclesia inflicto, et graviter immunitati Ecclesiæ injurioso. Non polluitur ecclesia si ex levi vel jocosa percussione sanguis effundatur.

3. Per voluntariam et sacrilegam *humani seminis* effusionem.

4. Per *sepulturam* excommunicati vitandi, hæretici vel infidelis seu non baptizati, excipe, si sit catechumenus.

---

* Conf. Putzer, De Facult. Apost. n. 135.

Isti actus debent fieri in ipsa ecclesia, non in atrio, vel turri, vel sacristia, et debent esse notorii juris aut facti. Statim post pollutionem Ss. Sacramentum debet auferri, altaria nudari omniaque mobilia tolli.

31.—**Reconciliatur** ecclesia vel oratorium publicum si fuerit *consecrata*, per Episcopum vel sacerdotem delegatum (cum aqua benedicta ab Episcopo juxta Pontificale Rom.)

32.—Facultas nostris Episcopis facta est (form. I. art. 13.) "delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua *non* benedicta ab Episcopo."

33.—Si Ecclesia fuerit solummodo benedicta, reconciliari potest—sed in *casu necessitatis tantum*—per simplicem Sacerdotem *sine* Ordinarii delegatione, ritu in Rituali Rom. (tit. VIII. c. 28.) præscripto. S. R. C. 4138.

34.—Oratorium privatum non censetur pollui, ideoque non indiget reconciliatione.

35.—Opportunum videtur hoc loco inserere quæstionem, quid sit agendum, quando aliqua **Ecclesia ad usum profanum sit convertenda**, vel sit destruenda. *Resp.* Juxta Instructionem in Actis Ecclesiæ Mediol. (part. I, pag. 135) et ab aliis auctoribus data consilia, hæc observari possunt:

I. Sanctorum Corpora vel Reliquiæ, si habeantur, aliquot dies ante profanationem, diligenter ab eorum loculls amoveri debent a Sacerdote superpelliceo et stola rubra induto, recitatis antea Antiphona et oratione pro unoquoque Sancto.

Recognoscenda sunt Corpora ipsa vel Reliquiæ, utrum sigilla sint intacta etc. Si autem nihil obstat, in novam Ecclesiam solemni processione sunt deferenda.

II. Deinde ad profanationem Altarium proceditur:

a.) Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus cum clerico ministrante ad gradus altaris profanandi genuflexus tacite oret, et Antiphonam cum oratione in honorem Sancti, cui dicatum est Altare, devote recitet.

b.) Altare ipsum denudet tobaleis et ornamentis; tunc adhibitis operariis mensam altaris amoveat, et amotam suis manibus lavet et abstergat, aquam postea in sacrarium effundat.

c.) Sepulcrum mensæ caute aperiat, et Reliquias contentas extrahat, atque obsignatas in loco apto custodiat.

Si vero Altare non sit consecratum, sed habeat tantummodo lapidem sacrum, hunc caute evellat, lavet, et intactum in sacristiam deferat.

III. Tunc, si Ecclesia sit consecrata, duodecim cruces in pariete Sacerdos amoveat, adhibito opere fabri murarii, si opus sit; unamquamque crucem lavet, et postea aquam in sacrario effundat; cruces in loco apto reponat.

IV. Corpora defunctorum, si in Ecclesia inhumata fuerint, exhumentur et ad cœmeterium transferantur, ad quod licentia magistratus civilis requiri solet, prius recitatis Ps. *De profundis* cum precibus et oratione.

V. Ecclesia sic profanata, amoveantur imagines sacræ et omnia ornamenta, etc. Hoc fieri licet per laicos. Conf. *Ephem. Lit*, vol. 26, pag. 676 et seq.

De Rebus profanis,

quæ in Ecclesia vel prohibentur vel tolerantur.

36.—Quum Ecclesiæ et Oratoria publica et privata divino servitio dedicata sint, nihil profani in ea introduci licet.

Hinc S. R. C., 3679, decrevit:

"Non licet admittere in Ecclesias nisi vexilla (*flags* et *banners*) religiosa et pro quibus habetur forma Benedictionis in Rituali Romano habetur."

37.—Quod attinet ad VEXILLUM NATIONALE Fœderatorum Statuum (*U. S. Flag*), S. Cong. S. Off., die 17 Febr. 1911, respondit: "Attentis expositis a R. P. D. Deleg. Apost., quatenus absit omnino quilibet Ecclesiæ vel Sacræ Liturgiæ contemptus, nihil obstare." *Eccl. Review*, 44 (1911) pag. 590.—Ista sententia nullomodo applicari potest aliis quibuslibet vexillis profanis.

38.—Intra ambitum tamen sanctuarii, ad quem laici non habent accessum, tempore sacrarum functionum, neque supra dicta vexilla nationalia admittenda sunt. Conf. *Irish Eccl. Record*, 1914, pag. 96.

39.—Supradicta principia potissimum attendi debent, ubi agitur de introducendis vexillis profanis, e. g. societatum præsertim prohibitarum occasione funerum, vel si *Massones* vel alii similes sodales in cœtu uniti cum suis insignibus adsint, in quo casu Clerus recedere debet. C. S. O. 25 Jan. 1890. Conf. Pighi, *Liturg. sacerd.* pag. 611.

40.—CINEMATOGRAPHICÆ repræsentationes (*Moving Pictures*), omnesque actiones scenicæ prohibitæ

sunt in Ecclesiis, Decreto S. Cong. Consist. diei 10 Dec. 1912. *Acta Ap. Sedis* vol. IV (1913) p. 724.

41.—In locis subterraneis (*Basement*) earum Ecclesiarum, quæ consecratæ sunt, non licet instituere spectacula theatri more ad juventutem præsertim honeste exercendam, quia "Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius." S. R. C. 3546, 1.

De Altaris Consecratione.

42.—Altare sive *fixum*, sive *portatile* debet esse rite consecratum.

43.—Ad validitatem Consecrationis requiritur, ut lapis Altaris, sive fixi, sive portatilis, sit

a.) naturalis, non arte confectus,

b.) unicus et integer, non e pluribus lapidibus unitus, vel fractus;

c.) ut sacris reliquiis sit munitus.

Notandum. — Reliquiæ. quæ in Altari sive fixo sive portatili recondendæ sunt, *Martyrum* esse debent, et juxta regulam generalem *plurium*; sufficiunt tamen *unius* Martyris pro validitate, juxta S. R. C. 4180, 1.

44.—Amittitur consecratio et altare exsecratum censetur:

a.) per *fracturam enormem* sive in mensa, sive in stipite (si altare sit fixum). Fractura censetur enormis tum ob quantitatem, tum propter locum unctionum, licet in se sit levis. S. R. C. 2777.;

b.) per *amotionem mensæ* a stipite, si altare sit fixum, S. R. C. 3605 ad 7.;

c.) per *amotionem Reliquiarum*, vel per fracturam aut amotionem operculi sepulchri, etsi nullomodo

dubitari possit de reliquiarum authenticitate. S. R. C. 3162 ad 5 et 3497 ad 2. Cf. Schulte *Consecranda* p. 222.

45.—Consecratio non amittitur et altare non censetur exsecratum,

a.) si operculum sepulchri ex metallo confectum sit S. R. C. 3779 ad 4.;

b.) si rimula quædam cernitur inter operculum et sepulchrum ob defectum cohæsionis ex cæmento ortum, ita tamen ut prudenter præsumi nequeat, ullo tempore sepulchrum reliquiarum fuisse apertum. Episcopus tamen, privatim facta malta ex cæmento prius juxta Pontificale benedicto, cum ea rimulam implere et operculum firmare debet. S. R. C. 3504, 2.

Notanda.

46.—Duo Altaria in eadem Ecclesia consecrari non licet sub eodem titulo. S. R. C. 24 Maii 1895. (*Anal. Eccl.* III. p. 294.)

47.—Sepulchra altarium portatilium necessario claudenda sunt lapide, non cæmento, secus consecratio repetenda est, id quod fieri licet formula breviori a Leone XIII approbata (S. R. C. 3585), ut sequitur:

Formula brevis Consecrationis.

48.—Consecratio juxta breviorem ritum in similibus casibus statutum fiat, ut in iisdem aris antea rite efformato sepulchro certæ Sanctorum reliquiæ reponantur, iis solummodo ceremoniis servatis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur, dum in sepulchro reconduntur reliquiæ et superponitur lapis, scilicet:

Ut signetur sacro chrismate confessio seu sepulchrum, et interim dicatur Oratio:

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulchrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. Pax huic domui.

Postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris et superposito operculo ac firmato, dicatur altera

Oratio.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia; et præsta, ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Et nihil amplius.

De Altaris Ornatu

Sequentia observanda sunt:

49.—*Altare debet operiri* tribus mappis rite benedictis (ex lino vel cannabe non vero ex alia materia) quarum superior usque ad terram pertingat. S. R. C. 4029. ad 1. Cf. Rubr. Miss.

50.—In medio altaris inter candelabra *collocetur* **Crux** cum imagine Crucifixi satis conspicua.

DE CRUCE.

51.—Præter Crucem in Altari majori semper posita sint sex candelabra, quibus Crux superemineat. *Cærem. Ep.* I, 12. 11.—In aliis altaribus duo saltem candelabra ponantur.

52.—Tempore sacri Adventus ac Quadragesimæ, cum fit Officium de tempore et in Missis de Requie, non sunt tegenda candelabra velis violaceis. S. R. C. 3266.

Notanda.

53.—Ubi Ss. Sacramentum publice expositum est, crux collocari vel removeri potest, pro locorum consuetudine. S. R. C. 2365 ad 1.

54.—Non licet statuere Crucem super Throno et in eo præcise loco super quo publicæ adorationi in Ostensorio exponitur Ss. Eucharistia, vel super corporali quod Expositioni inservit. S. R. C. 3576. ad III. Neque collocetur Crux ante ostiolum tabernaculi, sed poni potest super ipsum tabernaculum. S. R. C. 4136.

55.—Si in Altari adest magna statua Ss. Crucifixi, non est apponenda alia Crux in medio candelabrorum. S. R. C. 1270, 2. In quo casu statua Ss. Crucifixi debet esse figura principalis.

56.—Non licet Crucem altaris principalem telo obtegere ne sordescat, aliamque minorem ponere. S. R. C. 3059, 11.

DE CANDELIS ET LUMINIBUS.

57.—**Numerus** *Candelarum* quæ accendi debent: in Missa privata: duo; pro Episcopo: quattuor; in Missa cantata: sex; in Pontificali: septem; in Missa cantata de Requie: saltem quattuor; coram Ss. Sacramento exposito saltem duodecim sunt.

58.—Perinde est an candelæ sint ex *alba* cera, an ex *flava;* convenit tamen ut in Missa et Officio lugubri, v. g. defunctorum, et de tempore Adventus et Quadragesimæ cerei flavei adhibeantur, albi vero in festis et solemnitatibus, præsertim exposito Ss. Sacramento.—Convenit insuper, ut candelæ sint

benedictæ. *Wapelh.* n. 9, 7.—Benedictio candelarum extra diem 2 Febr. fit juxta formam Ritualis, Tit. VIII, cap. 3.

NOTANDA:

59.—Modus *accendendi candelas.*—Altaris cerei ita sunt accendendi, ut incipiatur ab illo, qui cruci proximius reperitur in cornu Epistolæ, postea servato ordine reliqui duo in eodem cornu exsistentes: ac deinde accenduntur reliqui cerei in cornu Evangelii exstantes, incipiendo item ob eo, qui cruci propior est usque ad ultimum in eodem cornu oppositum. In exstinguendis autem iisdem cereis ordo invertitur, atque incipitur in cornu Evangelii a cereo, qui a cruce remotior est ad illum qui propior; dein vero a parte Epistolæ, eadem regula eodemque servato ordine. S. R. C. 4198 ad IX.

60.—Consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis lectis a consecratione usque ad consummationem, servari potest. S. R. C. 4029 ad II.

61.—Ad Missam principalem, quæ est etiam Conventualis vel Parochialis, si cantari nequit, licet plus quam duas candelas in Altari accendere, saltem in Festis solemnioribus. S. R. C. 3065.

62.—Qualitas. Cereus ex cera apum præscribitur ob mysticam significationem. Conf. quæ leguntur hac de re in *Eccles. Review* II. p. 98.—Exposita difficultate habendi veram ceram apum, S. R. C. 4147 mentem suam declaravit, "ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duæ candelæ in Missa accendendæ sint ex cera apum saltem in maxima

parte; aliarum vero candelarum, quæ supra Altaribus ponendæ sunt, materia in majori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxii inquirere tenentur."

63.—Oleo olivarum generatim utendum est ad nutriendam lampadem ante Altare Ss. Sacramenti; ubi vero haberi nequeat, remittendum est prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus. S. R. C. 3121.

Decreto S. R. C. diei 8 Novembris 1907, permittitur usus cujusdam compositionis ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem ante Tabernaculum.

64.—Lumina ex oleo substitui nequeunt luminibus cereis in Expositione Ss. Sacramenti. S. R. C. 3173.

Lumina ex oleo, quæ mensæ Altaris imminent et ardent etiam tempore Sacrificii permitti non possunt. S. R. C. 4035 ad VI.

65.—**Lux electrica** ad depellendas tenebras, ecclesiasque splendidius illuminandas, *non* vero *ad cultum* adhiberi potest, caute tamen, ne modus speciem præ se ferat theatralem. S. R. C. 3859. Idem dicendum de illuminatione ex **Gas**, dummodo apparatus nullomodo in ipso altari, sive mensa, sive tabernaculo affigatur.

Juxta Decretum S. R. C. 24 Jun. 1914: Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (4097), sed etiam loco candelarum, quæ corum Ss. Sacramento vel Reliquiis Sanctorum

præscriptæ sunt. Pro aliis ecclesiæ locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii judicium permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiæ postulant (3850, 4206 et 4210 ad 1.)

Nec licet, tempore Expositionis publicæ vel privatæ interiorem partem Ciborii seu Tabernaculi cum lampadibus electricis in eo collocatis illuminare ut Sacra Pixis cum Ss. Sacramento melius a fidelibus conspici possit. S. R. C. 4275, et 24 Jun. 1914. Conf. *Ephem. Lit.* Vol. 28, pag. 467.

66.—Inter ornatum Altaris præterea numerantur **Reliquiæ** et **Imagines** seu STATUÆ Sanctorum; quæ inter candelabra disponendæ sunt, præsertim diebus solemnioribus, nisi Ss. Sacramentum sit expositum. Nullæ Reliquiæ nec Sanctorum statuæ aut imagines super tabernaculum, quasi basin ponendæ sunt. S. R. C. 2613, 6; 2740, 1.

De Reliquiis alio loco fuse tractabitur: hic pauca notantur quæ pertinent ad Imagines et Statuas.

67.—Imagines et statuæ Sanctorum canonizatorum, si super altare exponuntur, juxta crucem vel inter candelabra collocantur—digniores a cornu evangelii et prope crucem. De Herdt. I. 191.

68.—Imagines Ss. CORDIS JESU publicæ venerationi exponendæ, *personam Christi* cum corde exterius patente, non solum Cor repræsentare debent.—Imagines autem *solum Cor* exhibentes, *privatæ devotioni* permittuntur, dummodo in altaribus publicæ venerationi colendæ non exponantur. *S. Off.*, 26 Jan. 1891.—Idem valet de duobus cordibus Jesu et Mariæ, quæ aliquando simul exhibentur. S. R. C. 3492.

69.—Simulacra seu statuæ D. N. J. C. suum Cor sacratissimum monstrantis Beatæ Margaritæ Alacoque ad ejus pedes provolutæ, inconsulta Sede Apostolica non licet publicæ venerationi exponi. S. R. C. 3420.

70.—Ubi indultum est ut Missa de aliquo Beato celebretur, licet ejus imaginem et simulacrum necnon votivas tabellas super altare exponere. S. R. C. 1156 ad 1.

71.—Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcunque imponi possunt, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; possunt tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiæ, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illæ neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium præseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiæ consuetudine alieni. S. R. C. 3835.

72.—Imago sola tegenda est, quæ exstat in Altari in quo fit expositio Ss. Sacramenti, in Oratoriis ubi ejusdem fit perpetua expositio et adoratio. S. R. C. 3241 ad 4.

73.—Sacrum **Tabernaculum**, in quo asservatur Ss. Eucharistiæ Sacramentum, vel omni ex parte interius panno serico albi coloris vestiri, vel ex laminibus deauratis tantum ornari debet. S. R. C. 3709, it. 4035 ad IV. et 3254 ad VII.

Præterea in Tabernaculo, ubi asservatur Ss. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ, nec Vasa

Sacrorum Oleorum, nec aliud. Ferraris, vol. 7. *Tabernaculum.*

NOTANDUM.—Tabernacula "tornatilia" (*revolving tabernacles, Drehtabernakel*) ab Ecclesiæ mente omnino aliena sunt, ideo aliquando ab Episcopis interdicuntur, magnisque incommodis obnoxia sunt. Wapelh. n. 218, nota.

74.—Tabernaculum benedici debet, priusquam Sacra Eucharistia in illo recondatur, forma Rit. Rom. Tit. VIII, cap. 23. S. R. C. 4035, IV.

Illuminatio interioris Tabernaculi luce electrica vetita est. Conf. n. 65 versus finem.

75.—Clavis tabernaculi Ss. Sacramenti saltem sit deaurata et fimbria pariter pretiosa munita, et in loco a manibus profanis tuta a sacerdote conservari debet, neve maneat super mensa altaris vel in ipso tabernaculo, nisi peracto sacro alia Missa immediate sequatur. Ferraris *ibid.*

76.—Pallium seu **Antipendium**, ubi in usu est, sit coloris festo vel Officio convenientis. In Altari autem, in quo Ss. Sacramentum asservatur, non licet apponere antipendium nigrum, quando in eo celebratur Missa de Requie, sed adhibeatur color violaceus tum antipendii, tum, ubi in usu est, conopei. S. R. C. 3201, 10; 3562.

77.—Flores frondesque naturales et odorifera, vel flores serico contexti ad ornandum altare præsertim diebus festivis adhiberi convenit. *Cær. Ep.* I, 12. Quæ tamen ab altari amoveantur temporibus pœnitentialibus, quando Missa vel officium fit de tempore. Excipiuntur tamen Dominica III Ad-

ventus, Dom. IV Quadrages., Vigilia Nativ. Dni et festum Ss. Innocentium. Præterea amoveantur flores in Missis de Requie.

78.—Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat. Rub. gen. Miss. Tit. XX. Nihil tamen, neve Crux, neve flores, neque aliud quidquam ponatur ante ostiolum tabernaculi. Conf. n. 54.—Nihil super Tabernaculum poni licet præter Crucem. Conf. n. 66.

De Vasis sacris

EORUMQUE ACCESSORIIS.

Sequentia observanda sunt:

79.—Vasa sacra sunt: Calix et Patena, Pyxis et Lunula ostensorii, quibus et ipsum Ostensorium adnumerari potest; accessoria sunt: Corporale, purificatorium, bursa et velum. Circa quæ notanda sunt sequentia:

80.—Calix et **Patena** debent esse saltem intus deaurata; debent ab Episcopo consecrari ante usum. Consecratio amittitur, si notabiliter frangantur; si foramen vel minimum sit in fundo cuppæ; si cuppa separatur a pede fixo, (non autem si calix sit tornatilis); per novam deaurationem, non autem si inauratio per usum paulatim evanescat.—Quodsi necessaria sit nova consecratio, non est exsecrandus calix antequam artifici tradatur ad reparandum. S. R. C. 2620.

NOTANDA.

81.—Episcopus delegare potest Sacerdotes pro benedictione sacrorum Vasorum, dummodo unctio non sit in iis adhibenda. S. R. C. 3533 ad II.

Episcopi nostri facultate gaudent "deputandi aliquem sacerdotem cum facultate consecrandi calices, patenas et altarium lapides." Cf. Putzer n. 179.

Calix cum patena consecrationem ex eo non recipit, quod aliquis, etiam bona fide, in iis nondum consecratis celebraverit.

Abbates usum Pontificalium habentes, possunt vasa sacra pro *suis* ecclesiis, non autem pro *aliis* consecrare.

82.—Pyxis seu Ciborium et **ostensorium** debent esse ex solida et decenti materia. Cuppa pyxidis et lunula sint saltem intus deauratæ. Pyxis et lunula ostensorii formula Ritualis "Benedictio tabernaculi" benedici debent ab Episcopo vel alio facultatem habente; ostensorium laudabiliter benedicitur vel eadem formula, vel speciali formula in Append: Ritualis.

83.—Pyxis cum sacris particulis in tabernacula asservata semper cooperta esse debet velo serico albi coloris, vel alius pretiosioris materiæ. Rit. Rom. Tit. IV, cap. 1, n. 5. Conf. S. R. C. 3394, 1.

84.—Usus sacram Hostiam, quæ in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla lunulæ apte cohærentia, eamque in Tabernaculo reponendi absque ulla capsula, seu custodia, licitus est, "dummodo sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat, juxta Decreta alias edita." S. R. C. 3974, cf. 3234 ad IV.

85.—Corporale, palla et purificatorium debent confici ex lino vel cannabe, et esse mundissima. Corporale et palla debent benedici ab Episcopo ve

alio facultatem habente. Pro purificatorio benedictio non præscribitur. S. R. C. 2572 ad 12.

86.—Notanda.

a. Palla separatim a Corporali benedici potest, et si benedicuntur una vel plures Pallæ simul cum uno vel pluribus Corporalibus, formula recitanda est prout jacet. S. R. C. 3524 ad III.

b. Licet uti palla a superiore parte panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto cooperta, "dummodo palla linea subnexa Calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa." S. R. C. 3832 ad IV.

87.—Clerici prima tantum tonsura initiati vasa sacra et lintea sacra, tangere et calicem in sacristia præparare possunt sine indulto. S. R. C. n. 4194 ad I.

Vi privilegii Regulares laici et Moniales, qui curam habent sacristiæ, sacra vasa et lintea nudis manibus contrectare possunt. Eadem facultas generatim conceditur sacristis sæcularibus speciali vel saltem tacita Episcopi licentia. Cf. *Ir. Eccl. Rec.* 1914, p. 99.

88.—Lotio. Corporalia, Pallæ et purificatoria post usum in Missæ celebratione, licet tangere solis Sacerdotibus, Diaconis et Subdiaconis; et priusquam lavanda aut reficienda tradantur, ab eis ablui debent in vase nulli alii usui inserviente, aqua munda, quæ in sacrarium projicitur.—Convenientius esset, si secunda et tertia lotio etiam a persona sacrata fieret. Cf. Marc. *Inst. Mor. Alph.* n. 1632.

De Vestibus sacris

ET USU PARAMENTORUM.

Sequentia observanda sunt:

89.—Amictus et **Alba** e lino vel cannabe (*hemp*) confici debent. Cingulum sit vel linteum, vel laneum, vel sericum. Casula cum stola et manipulo

debet esse e serico vel semiserico, ex aurea vel argentea textura, non autem ex vitrea textura. Cf. S. R. C. 3543. Paramenta vilioris materiæ prohibentur decretis S. R. C. 2769, V, 3 et 3779, 1.

90.—Velum calicis et velum humerale pro Subdiacono debent esse serica, juxta rubricas. Rit. celebr. Miss. tit. I. n. 1.; Cær. Episc. l. 1, cap. 10, n. 5. Bursa sit ejusdem materiæ et coloris.

91.—Dalmatica et tunicella ad Missam solemnem utuntur diaconus et subdiaconus *extra dies pœnitentiales.*

92.—Planetæ plicatæ et stola latior adhibentur diebus pœnitentialibus et in ecclesiis majoribus tantum. Conf. Rubr. gen. Missalis Tit. *XIX*, 6, et Van der Stappen III, 9, 137. In minoribus ecclesiis hisce diebus sacri Ministri alba tantum sint induti et stola ac manipulo. Rub. Missal.

93.—Stola adhibenda est in conficiendis et administrandis Sacramentis, in confectione et administratione Sacramentalium, et etiam in Concionibus, si adsit consuetudo. S. R. C. 3237 ad II. et 3784.

94.—Quoad *Confessarium* Rituale dicit: "Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus et locorum feret consuetudo." Tit. III, cap. 1, n. 9.

95.—Stola Concionatoris sit coloris Officio diei respondentis. S. R. C. 3764 ad XIII.

96.—Pro administranda Ss. Eucharistia *extra* Missam stola adhiberi potest vel coloris Officio illi diei convenientis, vel alba conveniens Sacramento Eucharistiæ. S. R. C. 2740. ad 12. In die Commem.

omnium fidel. defunct. stola albi vel violacei coloris adhibenda est. S. R. C. 19 Apr. 1912, ad 10.

Color *bursæ* a Sacerdote deferendæ ad administrandam Communionem extra Missam ut sit coloris stolæ convenit. S. R. C. 3515 ad I.

97.—Sacerdotes, si *non celebrantes* intra Missam sacram Communionem recepturi sunt, stolam induant coloris Officio diei convenientis, extra Missam coloris albi si lubet. In adoratione publica Ss. Eucharistiæ Sacerdotes stolam assumant coloris convenientis. S. R. C. 1765.

98.—Diaconi *accedentes privatim* ad sacram Communionem debent deferre super cottam stolam transversam. S. R. C. 3499.

99.—Stolam violaceam adhibendam esse in devotione Viæ Crucis *affirmant* Ephem. Lit. juxta usum in Urbe (Vol. VII. p. 21-25.) sed *negat* Irish Eccl. Record. juxta regulam generalem. Vol. XIII. (1892) p. 742.

100.—Ad expositionem solemnem Ss. Sacramenti quæ fit extra Missam Celebrans debet assumere Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et Pluviale albi coloris comitantibus Ministris sacris, juxta S. R. C. 3029 ad 15. et 3799 ad 1.—Sin autem expositio extra Missam fit absque ministris sacris, Celebrans loco Albæ induat Superpelliceum.

101.—PLUVIALE seu Cappa adhibetur in benedictionibus necnon a presbytero assistente in Missa pontificali, pariterque in Vesperis et Laudibus solemnibus tum ab Officiatore, tum a Pluvialistis.

102.—Velum humerale quo utitur Subdiaconus in Missa solemni debet esse coloris paramentorum Missæ, velum vero pro benedictione Ss. Sacramenti, vel pro portando SSmo in processionibus semper est albi coloris.

103.—Superpelliceum habens manicas largas potissimum portatur a clero assistente vel serviente ad sacras functiones, ad solemnem persolutionem divini officii, vel a sacerdote benedictionem aliquam peragente vel sacramenta administrante, quando Alba non præscribitur.

104.—Rochettum habens manicas angustiores et longas est indumentum Episcoporum et Prælatorum sæcularium.

105.—Rubricæ requirunt ut birretum adhibeatur a sacerdote in accessu ad functiones sacras, et in recessu ab iisdem. Præterea, Sanctissimo non exposito, in choro clerici officium recitantes, dum sedentes psalmos vel cantica absolvunt birreto tegantur.—Non sit capite tecto, qui privatim extra ullas functiones sacras vel officium in Ecclesia versatur. *Wapelh.* n. 12, V.

106.—In paramentis nigris nullæ imagines mortuorum vel cruces albæ ponantur. Cær. Episc. II, 11.

DE COLORE PARAMENTORUM

Observanda sunt sequentia:

107.—Quinque tantum colores Paramentorum in S. Liturgia adhibendi sunt: Albus, Ruber, Viridis, Violaceus et Niger. Prohibita sunt paramenta

coloris flavi et cærulei.(1) Pariter illa in quibus colores confunduntur ita ut nullus color prævaleat.(2) —Color rosaceus adhiberi potest in Dominicis III Adventus et IV Quadrag. (3)

108.—Paramenta *ex auro* contexta adhiberi possunt pro albo, rubro, viridi (non vero pro violaceo) S. R. C. 3191, IV. Tela argentea permittitur pro colore albo. S. R. C. 3646, III.

109.—Si adsit ratio gravis color albus substitui potest pro colore viridi, e. g. ob defectum paramentorum pretiosiorum talis coloris.

110.—Color niger nunquam adhibendus est, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in Ecclesia publice exposito, in quo casu die Comm. omnium Fidelium Defunctorum colore violaceo utendum est. S. R. C. Decr. gen. 3177.

111.—Ad Missam Dominicæ, etiam minoris, adhibetur color Dominicæ competens, nulla ratione habita alicujus octavæ occurrentis vel festi dupl. simplificati. Rub. nov. X, 4.

112.—Si officium et Missa discordent, color Altaris sequitur officium; pro Missa vero solemni convenit, ut antipendium sit coloris paramentorum, excepta Missa de *Requie*, quæ celebratur in altari, ubi Ss. Sacramentum asservatur. In hoc casu antipendium violaceum adhiberi poest. S. R. C. 3562.

(1) S. R. C. 2769 q. V. 1; 3082; 3109, 4; 3779, 3; 2704, 4; 2788, 2.

(2) S. R. C. 2769 q. V. 2.

(3) S. R. C. 29 Nov. 1901, 3.

113.—Mutatio coloris fit pridie post Completorium, si color sequentis diei discrepet a colore Vesperarum præcedentium. In Vesperis color illius officii adhibetur, de quo fiunt Vesperæ integræ aut a Capitulo.

DE BENEDICTIONE PARAMENTORUM

114.—Benedici *debent* amictus, alba, cingulum, manipulus, siola, casula: congruenter benedici *possunt* dalmatica, tunicella, pulviale et superpelliceum, Van der Stappen III 9. 148. Velum, bursa, manutergium, antipendium et candelabra *non* benedicuntur.

Observanda sunt sequentia:

115.— Vestimenta nondum benedicta, quibus Sacerdos bona fide usus sit, non censenda sunt ut benedicta. S. R. C. 3162, 7.

116.— Exsecrantur, quando ita trita sunt, vel forma propria privantur, ut usui suo servire non possint.

117.—Vestes benedictæ in usus profanos converti nequeunt. Si comburantur, cineres in sacrarium projiciendi sunt.

118.—Facultas benedicendi paramenta sacra simplicibus Sacerdotibus delegari potest, qui tamen benedictionem perficere possunt tantum ritu Ritualis et Missalis, non Pontificalis. Cf. Putzer n. 134.

119.—Benedictio indumentorum sacerdotalium in genere adhiberi potest ad benedicendum unum tantum indumentum mutando numerum pluralem

in numerum singularem; servanda tamen a Sacerdote facultatem habente est formula in Missali Romano præscripta. S. R. C. 3524 ad II 3533 ad I.

Observationes diversae.

VINUM MISSÆ.

120.—Dummodo spiritus (*alcool*) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstat quominus idem vinum in Missæ sacrificium adhibeatur. S. O. 31 Jul. 1890.

Et ad conservanda vina extraordinarie dulcia, S. O., 5 Aug. 1896, in casu speciali, additionem spiritus permisit quæ non excederet proportionem septemdecim vel octodecim pro centum, modo admixtio fieret, quando fermentatio tumultuosa, ut ajunt, defervescere inceperit.

Proposito autem dubio utrum uti liceat quodam chimico processu (per additionem salis quod vocatur *tartrate of potassium*) ad vini pro Missa naturalem acredinem corrigendam, *S. C. Inquis.* respondit: *Non expedire* (9 Maji 1892). Pariter declaravit saccharum non esse vino addendum, (5 Aug. 1896).

Tamen experientia compertum est vini genera quæ in hisce regionibus sub nomine vulgari *Port*, *Madeira, Sherry*, *Malaga* etc. vænire solent, maximam partem et plerumque substantialiter adulterari.—Cf. *Americ. Eccles. Review*, July 1896, 93, p. 428.

ACCESSUS AD ALTARE.

121.—Si sacristiæ janua habetur retro post Altare, egrediendum est e sacristia et accedendum ad Altare

per partem Evangelii; post Missam vero regrediendum est per partem Epistolæ. S. R. C. 3029, 12.

122.—Unus tantum minister admittitur in Missa privata a Sacerdote celebrata. S. R. C. 1131, 2583. 6.—Soli Episcopi (non alii Prælati) duos vel plures ministros habere possunt. Cær. Ep. I. c. 29.

In Missis autem quæ non sunt stricte privatæ, e. g. parochiales vel similes, diebus solemnioribus duo ministri permittuntur. S. R. C. 3058. 7.—Idem valet, juxta *Ephem. Lit.* X. p. 35, si Communio generalis habetur, et quando in aliqua communitate, loco Missæ solemnis, celebratur Missa privata in qua omnes communicant, Ib. XIII. p. 114.

In Missa privata Ministro non licet Missale aperire ad designandam Missam. S. R. C. 2572. ad 5.

123.—Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur manum celebrantis. S. R. C. 4193, 2.

GENUFLECTENDI MODUS.

124.—Quando Sacerdos calicem portans, ad aliud Altare progressurus, præterit Ss. Sacramentum expositum, prius utrumque genu flectit, dein caput detegit. et facta inclinatione caput tegit, antequam surgat. Qui vero calicem non portat, omnes reverentias capite detecto perficit nec post flexionem utriusque genu caput tegit, donec e conspectu Sanctissimi venerit. Wap. 43. 5.—Quodsi non ante Altare, sed a latere transeat tunc prædicto ritu genuflectat, quum commode Ss. Sacramentum videre potest. Pighi, *Lit. sacerd.* n. 512.

125.—Sacerdos ante altare transiens, in quo Missa celebratur, a consecratione usque ad Communionem,

vel ubi Ss. Sacramentum asservatur, unicum genu flectat, quin caput detegat. Ceroferarii qui ab altari discedunt post consecrationem, cum intorticia in sacristiam referunt et cum statim ad loca suo prope altare redeunt unico genu flexo. S. R. C. 20 Maji 1904.

INCLINATIO CAPITIS.

126.—Ad nomen JESUS Celebrans caput inclinat versus Crucem, similiter ad nomen B. Mariæ, vel Sanctorum, de quibus fit saltem commemoratio, si eorum simulacrum vel imago in loco principali Altaris habeatur, fit ad illam inclinatio. Vide Missale, edit. recent., *Ritus celebr.* Tit. V. 2.

127.—Infra Octavam alicujus Sancti octavam habentis, cujus nec officium recitatur nec fieri commemoratio per accidens potest, caput inclinari debet, quando ejus nomen in Missa occurrit. S. R. C. 19 Jun. 1903.—Item in Vigiliis Sanctorum caput inclinandum est. S. R. C. 4281 ad II.

PULSATIO CAMPANULÆ.

128.—Pulsatio campanulæ durante Expositione Ss. Sacramenti tum ad altare Expositionis tum ad alia altaria decretis S. R. C. 3157, 10 et 3448. 2 interdicitur.—Quum S. R. C. 3148 ad quæstionem "An agitari possit campanula decursu Missarum, quæ leguntur in eodem Altari, saltem diebus Dominicis ratione populi pro ea Missa congregati" respondeat *non licere*, Ecclesia fideles excusare videtur, si Ss. Sacramento exposito pie intendentes ad partes principales Ss. Sacrificii minus accurate attendant.

Præterea campanula infra Missam, juxta Martinucci, non pulsanda est, quando in Ecclesia eodem

tempore Missa cantatur, vel absolutio fit defunctorum, vel processio aliqua per Ecclesiam agitur, vel quum recitatur officium in choro, vel Celebrans cum Ministris ad Altare procedit Sacrum solemne operaturus, aut operatus inde discedit.

Campanula in Missa pulsanda est etiam in Oratoriis privatis. S. R. C. 3638, 3.

129.—Usus cymbali (vulgo *Gong*) loco tintinnabuli ad altare a S. R. C. reprobatur. 4000. 3.

CONFITEOR.

130.—CONFITEOR.—Si Sacerdos celebrat sine ministro *semel* tantum dicere debet *Confiteor* ante Introitum, omittendo verba *vobis fratres*, etc. et dicendo *Misereatur nostri*. S. R. C. 3368. ad I. Sin autem Sacerdos ante distributionem S. Communionis, deficiente ministro, *Confiteor* ipse recitare debet, dicit *tibi pater*, etc. quia fideles recepturos agit.

KYRIE.

131.—KYRIE.—1. Si nemo est qui Celebranti ad *Kyrie* respondeat, ipse illud novies dicit.

2. In Missa cantata sine Ministris sacris *Kyrie* semper dicendum est in medio altaris. Cf. Schober *de Missis sol et pont*. p. 165.

GLORIA IN EXCELSIS.

132.—GLORIA IN EXCELSIS dicitur quandocunque in Matutino dictus est hymnus *Te Deum*, præterea Feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto.—Quoad Missas votivas, vide n. 226.

De Orationibus.

Regulæ generales.

133.—1. **Numerus Orationum** determinatur ritu et solemnitate Officii, prout in Ordine seu Directorio notatur, neque licet sacerdoti ex devotione vel alia ex causa alias orationes seu collectas addere. Solummodo in Missis votivis privatis, in ferialibus et simplicibus, post Orationes Rubricis præscriptas, Orationes votivæ addi possunt, ita tamen ut numerus orationum sit quinque vel septem. Cf. S. R. C. 22 Mart. 1912 ad X. Si autem Oratio pro Defunctis addi lubeat, ista Oratio penultimo loco inserenda est.

134.—1. Infra Octavas Paschæ et Pentecostes duæ tantum Orationes dicuntur (Cf. n. 611).—Infra alias Octavas et in Vigiliis communibus, (exceptis Octavis et Vigiliis B. M. V. et Omnium Sanctorum,) nisi alia commem. facienda sit, dicitur secunda Oratio de S. Maria, tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. Sed infra Octavas et in Vigiliis B. M. V. et omnium Sanctorum secunda Oratio dicitur de Spiritu S., tertia Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.—Infra Octavas simplices nihil fit de octava; dies octava est ritus simplicis. Cf. n. 472, 8 et 473.

2. In Dominicis infra Octavas dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava, nisi facienda sit commem. alicujus festi occurrentis.

N. B.—De Orationibus, quæ diversis temporibus dicendæ sunt, suis locis tractatur.

NOTANDA

135. — Cognomina Sanctorum, e. g. *de Paula*, *Nolascus* in Orationibus non sunt exprimenda.

S. R. C. 2319 ad 2.—Dici tamen debet: Joannes *Chrysostomus*, Petrus *Chrysologus*. S. R. C. 2637.

136.—Quum dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem. *Rubr. gener. Missalis* Tit. VII. 8. Scilicet illa varianda, quæ posterior est, seu quæ dicenda est pro commemoratione.

In concurrentia duarum Ss. Virginum vel Viduarum, quæ Secretam et Postcomm. præcise similes habent, sumi potest pro variatione Secreta et Postcomm. ex Missa *Loquebar* de Comm. Virg. et Mart. omissis verbis *Martyris* vel *Virginis et Martyris*. S. R. C. 2822 ad I.

137.—Oratio *Fidelium* (pro omnibus defunctis) dicenda est extra tempus Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, prima mensis die in qua non occurrit officium duplex vel semiduplex; item in feriis II per annum similiter extra tempus quadragesimale et paschale (i. e. officio novem lectionum) non impeditis. Hæc Oratio penultimo loco dicenda est. Rubr. Gen. tit. V. 1. 2. S. R. C. 2077: 3553, ad 3. — Oratio *Fidelium* sic præscripta non omittenda est, quando Missa coram Ss. Sacramento exposito celebratur. S. R. C. 11 Dec. 1914.

N. B.—Ea quæ spectant ad Missam, quæ in Feriis majoribus et Vigiliis communibus ad libitum de Feria vel Vigilia legi potest, inveniuntur infra, nn. 207 et 208.

ORATIO "A CUNCTIS."

138.—1. In oratione *A cunctis* nomen S. Joseph semper nominandum est *ante* Ss. Apostolos.

2. Ad litteram N. recolitur nomen Sancti Titularis Ecclesiæ (vel Oratorii publici consecrati vel solemniter benedicti), in qua Missa celebratur.

3. Regulares possunt nominare Sanctum Fundatorem, dummodo non omittant nomen Titularis Ecclesiæ. S. R. C. 3758.

139.—In nominandis nominibus Sanctorum hic ordo servandus est: 1. B. Mariæ V.—2. Ss. Archangelorum et Angelorum.—3. S. Joannis Bapt.—4 S. Joseph.—5. Ss. Apostolorum.—6. Ss. Martyrum. —7. Ss. Confessorum.—8. Ss. Virginum et non Virginum.

140.—Ubi Ecclesia Titularem habet B. Mariam Virginem (sub quocunque titulo) vel S. Joseph, vel Ss. Apostolos Petrum et Paulum, nulla alia mentio facienda est de titulari. Pari modo nulla mentio fit, si Titularis sit Sancta Familia.

ORATIO "AD LIBITUM."

141.—Quoties in Missa tertia Oratio est *ad libitum* (quæ tamen omitti nequit), hæc Oratio sumi potest vel ex "Orationibus diversis," vel de aliquo Sancto, vel de Ss. Sacramento, de Spiritu S. etc. non vero de aliqua Dominica, vel feria, vel de Beato, nec pro defunctis. Cf. Van der St. II. 9. 124.

142.—Oratio "ad libitum" suppleri nequit per Orationem imperatam. S. R. C. 2198 ad 2. Hæc regula servanda est, e. g. quando Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa præscribitur, si una alterave ab Or-

dinario imperata sit, in quo casu ambæ orationes dicendæ sunt. S. R. C. 4070 ad I.

143.—Quodsi alia commemoratio, e. g. Simplicis vel Vigiliæ, facienda est, ista commemor. locum tenet Orationis "ad libitum."

COMMEMORATIO DE SSMO SACRAMENTO.

144.—Commemoratio de **Ss. Sacramento fieri debet** in omni Missa *cantata* in altari, in quo Ss. Sacramentum expositum est pro Oratione 40 Horarum vel ob aliam publicam causam.

a.) In festis duplicibus 1æ vel 2æ classis, in Dominica Palmarum, in vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes et in votivis solemnibus hæc commemoratio sub unica conclusione fit, nisi alia commemoratio (v. g. Dominicæ) sub distincta conclusione facienda sit, cui in hoc casu adjungitur. S. R. C. 2461 ad 3.

In Missa Expositionis et Repositionis tempore Orationis 40 Horarum, si Missa votiva de Ss. Sacr. impediatur, Commem. Ss. Sacr. Orationi diei sub una conclusione adjungitur, omissis collectionibus et collectis, ut infra dicetur, ubi de Devot. 40 Hor. tractatur. Conf. n. 426.

b.) Aliis diebus semper fit sub distincta conclusione, et *post* Orationes a Rubricis præscriptas, sed *ante* imperatas. S. R. C. 2323 ad I; 3328 ad II; 3436 ad III.

c.) Hæc commemoratio in Missis *privatis* (et cantatis in alio Altari) reliquis diebus (non 1æ et 2æ cl. etc.) fieri *debet*, si Ss. Sacramentum expositum est pro Devotione 40 Hororum et Instructio Clementina sit præscripta; alias fieri *potest*, sed non debet.

145.—1. Commemoratio de Ss. Sacramento **omittenda** est in Missis *privatis* (et cantatis in alio Altari) in festis 1æ et 2æ classis et diebus plures Orationes excludentibus, ut in Dominica Palmarum, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

2. Omittenda est commemoratio Ssmi Sacramenti ob identitatem Mysterii solummodo in Festis Passionis, Crucis, Ssmi Redemptoris, Ssmi Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis. S. R. C. 3924 ad IV.

NOTANDA.

146.—1. *Potest* etiam fieri hæc commemoratio in expositione cum pyxide velata, si Ss. Sacr. pro gravi causa et publico Ecclesiæ bono exponatur. S. R. C. 2390 ad 4.

2. Commemoratio hæc omnino omittitur durante expositione ex causa privata S. R. C. 4120 ad VII.

ORATIO IN ANNIVERSARIO PONTIFICIS.

147.—Commemoratio pro **Summo Pontifice** regnante fit in die Anniversaria ejus Creationis et Coronationis. S. R. C. 3078, 7.

148.—In anniversario tam electionis (seu translationis), quam consecrationis **Episcopi Diœceseos** de præcepto fieri debet commemoratio. Excipiuntur in hoc et præcedente casu Missæ de *Requie*.

149.—Dies anniversarius electionis seu translationis Episcopi computandus est, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, a die publicationis consistorialis; quoad Episcopos vero antea electos seu translatos a die expeditionis (Decretorum seu) Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium. S. R. C. 8 Jun. 1910.—

Notandum etiam, diem translationis pro illis, qui *cum jure successionis* fuerant Coajutores vel Administratores, esse diem quando Litteræ coajutoriæ fuerunt subscriptæ, non diem mortis prædecessoris. Quoad Anniversarium Promotionis alicujus Episcopi ad dignitatem Archiepiscopi ejusdem sedis, cujus Episcopus erat creatus, S. R. C. n. 4258, decrevit celebrandum esse anniversarium creationis archiepiscopalis.

150.—In anniversario consecrationis *Episcopi administratoris* non est facienda collecta (S. R. C. 2274, 5.) neque nomen ejus memorandum est in canone per sacerdotes celebrantes. (Ibid.)—Idem valet in Missionibus, quæ reguntur a Præfectis vel Vicariis Apostolicis. S. R. C. 3047, 4.

151.—*Omittenda* est hæc commemoratio in festis duplicibus primæ classis, Dominica Palmarum, Triduo Sacro ante Pascha, atque Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

152.—Si Anniversarium *accidentaliter* occurrit in festo mobili primæ classis, *omittitur* commemoratio. Sin autem *quotannis* hoc modo impediretur pro tota diœcesi, Anniversarium reponendum est in primam diem sequentem non impeditam. (S. R. C. 3702. 1 et 2; 3792, 2.)—Sin vero anniversarium occurrat die 24 Decembris, assignandum est diei proximiori, in qua non fit de Duplici 2æ classis *ante* diem 24 Decembris. S. R. C. 3824, 1.

Quodsi ista die in aliqua ecclesia ob occurrentiam festi Titularis sit impedita, in ista ecclesia nihil fit de anniversario translato. S. R. C. 3824, 2.

153.—In festis duplicibus secundæ classis dicitur sub *una conclusione* cum Oratione Missæ, nisi alia commemoratio facienda sit, cui adjungatur.

154.—In diebus inferioris ritus sub distincta conclusione dicitur et quidem post orationes a rubricis præscriptas, (et etiam post Orationem Ss. Sacramenti, si ista ratione Expositionis dicenda est,) sed ante imperatas vel votivas.

155.—Si Oratio pro Papa sit imperata, hæc Oratio omittitur, et dicitur pro Papa vel pro Episcopo ratione Anniversarii S. R. C. 3213, 1.

156.—Si Anniversaria Papæ et Episcopo occurrant eodem die, de Anniversario Episcopi fit comm. die sequenti. S. R. C. 3132.

ORATIO IMPERATA.

157.—Orationes **imperandi facultatem** habet tantum Summus Pontifex pro universo Orbe, Episcopus Ordinarius pro sua Diœcesi.—Prælati regulares Orationem imperatam præscribere non possunt sine licentia Episcopi Ordinarii loci. S. R. C. 2514, 6.

158.—Orationem imperatam dicere **debent** omnes Sacerdotes—etiam regulares—et extranei, qui in quacunque ecclesia,—etiam regularium exemptorum—talis diœceseos, in qua oratio præscripta est, Missam celebrant.—Excipiuntur Missæ, de Requie. S. R. C. 2613, 1 et 2; 3985.

159.—Obligatio recitandi orationem imperatam **perdurat** donec ab Ordinario præcipiente revocetur, nisi fortasse ratio cesset propter quam præscripta erat. Morte Ordinarii cessat.

160.—Oratio imperata (nisi sit pro re gravi, ut infra dicitur), **omittenda** est:

a.) in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes,

b.) in Duplicibus I et II classis,

c.) Dominicis majoribus,

d.) infra Octavas privilegiatas, scil. Nativitatis Dni, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi,

e.) quando a Rubrica plus quam tres Orationes sunt præscriptæ. Rubr. nov. Tit. XI.

Ubi duæ Collectæ ab Ordinario præscriptæ sunt, ambæ sunt dicendæ etiamsi tres Orationes a Rubricis requiruntur. S. R. C. 22 Mart. 1912 ad XI.

161.—Orationes imperatæ, si plures sint, dicuntur juxta ordinem dignitatis, semper autem post omnes commemorationes a rubricis præscriptas, sed ante orationes votivas, quas Celebrans forte ad libitum adjungit.

162.—De Oratione imperata **pro re gravi** S. R. C. die 23 Dec. 1914 statuit:

I. Quando episcopus collectam simpliciter *pro re gravi* præcipit, talis collecta omittenda est in omnibus duplicibus primæ classis, in vigiliis Nativitatis Dni ac Pentecostes, et in Dominica Palmarum.

II. Sin vero collecta *pro re gravi* distinctis verbis præcipiatur "etiam in duplicibus primæ classis," nihilominus omittenda est diebus sequentibus: Nativitas Dni—Epiphania Dni—Feria V in Cœna Dni—Sabbatum Sanctum—Pascha Resurrectionis—Ascensio Dni—Pentecostes—Festum Ss. Trinitatis et Festum Corporis Christi.

Conf. *Acta Ap. Sed.* 1915, pag. 27.

De Sequentia.

163.—SEQUENTIA dicitur tantum in quinque Missis, scil.: in festis et per octavas Paschatis et Pentecostes, in festo Ss. Corporis Christi et infra octavam, si Missa celebratur de Festo Corp. Christi. (Sin autem infra octavam Missa dicenda est de Dominica vel alio Festo I classis occurrente, Sequentia non dicitur.)

Præterea Sequentia habetur in festis Septem Dolorum B. M. V., et in Missis de Requie, ut suo loco dicetur.

Omittitur Sequentia in Missis votivis Ss. Sacramenti et Septem Dolorum B. M. V.

De Evangelio.

164.—Celebrans legens Evangelium, cum nominatur JESUS, caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum. Excipe, quando Missa celebratur coram Ss. Sacramento exposito, in quo casu reverentia fit versus venerabile Sacramentum. S. R. C. 3875, ad 4.

De Symbolo

165.—Symbolum, seu **Credo**, dicitur in Missis officio conformibus,

a.) In omnibus Dominicis,

b.) In festis Domini, B. Mariæ Virg., Ss. Angelorum, S. Joseph, Ss. Apostolorum, Ss. Doctorum, S. Mariæ Magdalenæ Pœnit., Omnium Sanctorum et per horum festorum octavas, dummodo Festum celebretur ritu dup. I classis. Quodsi Festum, in quo dicendum est *Credo*, celebretur ritu dup. II,

Credo dicitur tantum in ipso festo et die octava, si saltem de ea fiat commemoratio. Conf. n, 473, *c*.

c.) Item in die vel anniversario Consecrationis ecclesiæ vel altaris.

d.) In festis Sanctorum, quibus dedicata est ecclesia, et ubi habetur corpus, vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur.

e.) In die et anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi, (id quod valet tantum pro ipsa Missa Electionis vel Consecrationis).

f.) Item in festo Patroni alicujus loci, vel Tituli ecclesiæ vel oratorii publici consecrati vel solemniter benedicti (non autem alicujus capellæ, vel altaris), et per eorum octavas.

g.) Religiosi symbolum addere possunt et debent in festo principali S. Fundatoris et per ejus octavam, non vero aliorum Sanctorum Ordinis, nisi talis Sanctus sit Titularis vel Patronus. S. R. C. 2964 ad 3.

166.—Item dicitur *Credo* in Missis Votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur. In Missis, quæ celebrantur in paramentis violaceis, *Credo* dicitur solummodo in Dominica. Conf. n. 226.

167.—In Festo Sacrarum Reliquiarum "Missa cum *Credo* celebranda est in solis Ecclesiis, in quibus asservantur Reliquiæ insignes." S. R. C. 3238.

De Praefatione.

168.—Præfationes dicuntur, ut in Ordine Missalis notatum est: et quæ in Quadragesima, tempore Passionis, et Paschali, et infra Octavas propriæ assignantur, dicuntur etiam in Dominicis, et Festis,

quæ illis temporibus celebrantur, nisi illa Festa propriam præfationem habeant. Rubr. Missalis.

169.—Præfatio *de Trinitate* legitur in Missis de Ss. Trinitate; in omnibus Dominicis, (etiam infra octavas quæ non sunt Domini) quando non habetur propria, sive de festo de quo Missa dicitur, sive de octava Domini, sive de Tempore. Nov. Rubr. (1 Nov. 1910.) Tit. 10 n. 4.

170.—Præfatio communis semper dicitur extra Dominicam, quando ratione festi, vel octavæ, vel temporis propria non est dicenda. In Missis Defunctorum Præfatio communis semper dicitur.

171.—Quando Missa dicitur de aliquo Festo quod non habet Præfationem propriam, in quo tamen occurrat non solum Commemoratio alicujus Festi simplificati quod propriam habet Præfationem, sed etiam commem. Feriæ majoris cum Præf. propria de Tempore, tunc in Missa adhibenda est Præf. Festi simplificati. S. R. C. 19 Apr. 1912 ad XIII.

172.—In Missis. quæ celebrantur **coram**, sed non **de** Ss. Sacramento, dicitur Præfatio Missæ currentis, i. e. sive communis sive de tempore sive de octava.

173.—Si infra Octavam alicujus Festi, quod habet Præfationem propriam, (extra Dominicam) occurrat Festum ex majoribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat commemoratio in Missa.

Exempli gratia: Si festum S. Joachim, diei 17 Aug, assignatum, infra hebdomadam occurrat, Præf. Assumpt. B. M. V. dicenda est, quamvis de ejus octava non fiat commemoratio.

174.—Si plures octavæ occurrant, quæ singulæ habent præfationem propriam, dummodo Missa non habeat præfationem propriam, sumenda est præfatio de octava digniore.

175.—Quando infra octavam Missa de feria dicenda est (ut die 14 Dec. occurrente feria IV Quattuor Temporum), si fit commemoratio octavæ, etiam præfatio octavæ dicitur; sin autem non fit comm. oct., (i. e. ubi duæ Missæ conventuales celebrantur) præfatio dicitur de tempore vel communis. Conf. rubric. Missalis diei 15 Dec.

"COMMUNICANTES" PROPRIUM.

176.—*Communicantes* quod Octavis quibusdam assignatum est, dicendum est etiam quando Præfatio ejusdem Octavæ non dicitur, e. g. in festo B. M. V. infra octavam Ascensionis occurrente.

A Canone usque ad finem Missae.

NOMEN PAPÆ ET EPISCOPI.

177.—1. Sede Apostolica vacante omittuntur verba: *Una cum famulo tuo Papa nostro.* Defuncto Episcopo verba *Et Antistite nostro* omittuntur. Cf. Rubr. Missalis.

2. Episcopi Ordinarii nomen exprimitur, etsi nondum sit consecratus, dummodo a S. Sede sit confirmatus et Ecclesiæ suæ possessionem ceperit, saltem per procuratorem.

NOTANDUM.

Nomen Administratoris vel Vicarii Apostolici, quamvis sit consecratus Episcopus, non exprimitur, neque ullius alterius Superioris S. R. C, 2274 ad 5, 3047 ad 4; 1827 ad 1. Conf. n. 150.

178.—Nomen Episcopi dicendum est in Canone Missæ et in aliis liturgicis Orationibus a die captæ possessionis vel per Episcopum ipsum, vel per suum Procuratorem. S. R. C. 3500, 2.

179.—Episcopus Ordinarius, qui in aliena Diœcesi celebrat in *Memento* Canonis tenetur nominare semetipsum. S. R. C. 3764, 19.

NOMINA SANCTORUM IN CANONE.

180.—Quoad **dies Sanctorum,** qui in Canone enumerantur, notandum est: Jacobus priore loco positus est Jac. major, 25 Julii; Jacobus secundo loco positus est Jacobus minor, 1 Maji; Xystus, 6 Augusti. — Post *Consecrationem*: Joannes est Baptista, 24 Junii et 29 Augusti;—Stephanus Protomartyr, 26 Decembris et 3 Augusti;—Ignatius, 1 Februarii; Alexander, 3 Maji; Marcellinus et Petrus, 2 Junii;—Felicitas et Perpetua, 6 Martii; Agatha; 5 Febr.;—Lucia, 13 Dec.;—Agnes, 21 et 28 Jan.;—Cæcilia, 22 Nov.; Anastasia, 25 Decembris in secunda Missæ. De diebus ceterorum Sanctorum, qui in acnone memorantur, nullum dubium est.

COMMUNIO FIDELIUM.

181.—**Sumpto Ss. Sanguine,** si qui sunt communicandi sacerdos distribuit communionem. Conf. infra n. 192—198. Qui distributione finita et ciborio reposito, guttulas Sanguinis e calice sumat, et Missam de solito prosequitur.

ORATIO "HUMILIATE."

182.—In Quadragesima, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Hebdomadæ majoris in Missa de Feria, non autem in Missis festivis vel votivis, absolutis

Orationibus post Communionem cum suis conclusionibus, statim dicit: *Oremus. Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans, et extensis manibus, subjungit Orationem super populum. In Missa solemni cantatur *Humiliate* a Diacono facie ad populum versa.

ULTIMUM EVANGELIUM.

183.—In Missis *de ea*, scil. de Dominica, Feria vel Vigilia Evang. S. Joan. *In principio* semper dicitur. De vigilia ergo commemorata in Missa feriæ vel alterius vigiliæ, non legitur Evang. in fine, quia de ipsa nil actum est in Officio. Conf. Rubr. gen. Miss. Tit. 13, n. 2. S. R. C. 23 Jan. 1912, Mut. in Missali ad Sab. ante Dom. IV Junii. Ita Aertnys *Compend. Lit.* 8 ed. n. 210, 4, not. Aliter Menghini in *Eph. Lit.* 1913 p. 23 et sq. et alibi.

184.—Si in aliqua Missa, etiam votiva, quæ celebratur extra ordinem Officii, fit commemoratio Dominicæ, vel Feriæ majoris, vel Vigiliæ, de eadem semper legendum est ultimum Evangelium. Nov. Rubr. X, 3.

Occurrente Vigilia, cujus Evangelium idem est quod in Missa Officii diei legitur, pro ultimo Evangelio legendum est *Initium S. Evangelii secundum Joannem.* Commemoratio autem Vigiliæ fieri debet. S. R. C. 3587.

De Precibus post Missam privatam dicendis.

185.—Preces istæ præscriptæ immediate expleto ultimo Evangelio, dicendæ sunt, ita ut aliæ functiones vel preces interponi nequeant. S. R. C. 3682.

Si sacra Communio distribuenda est, fit post recitationem precum.

Si Missa absoluta, (mense Octobri) Rosarium a populo recitandum non sit finitum, Celebrans dictas preces recitet cum ministro solo. S. R. C. 8 Dec. 1900.

186.—In Nativitate Dni post tres Missas in continuo dictas *semel* tantum dicendæ sunt post ultimam Missam. S. R. C. 3705, 3855 ad VII. Quando post lectam secundam Missam immediate sequitur Missa solemnis, preces illæ non recitandæ sint. 3936, ad 1. Secus vero si Celebrans ab altari recedat.

187.—Preces illæ **omittendæ** sunt:

a.) post Missam conventualem, etsi lectam;

b.) post Missam exsèquialem sine cantu celebratam;

c.) post Missam lectam de Ss. Corde Jesu prima Feria VI cujusvis mensis, quæ celebratur cum privilegiis Missæ votivæ solemnis.(1)

d.) Item omittuntur dictæ Preces, si Missa lecta celebretur cum aliqua solemnitate externa, v. gr. occasione primæ Communionis, aut Communionis generalis, sacræ Confirmationis vel Ordinationis aut pro Sponsis; item si Missa lecta Parochialis vel alicujus Communitatis religiosæ, vel Neo-Presbyteri vel Jubilaris cum quadam solemnitate externa celebretur;

e.) Si Missam lectam immediate ac rite subsequatur aliqua functio seu pium exercitium, quin Celebrans ab Altari recedat, v. gr. si post Missam immediate locum habeat aliqua Instructio, vel Benedictio Ss. Sacramenti, vel pium exercitium alicujus Confraternitatis. Non autem omittuntur

---

(1) S. R. C. n. 4271.

illæ Preces, si aliquæ tantum pro Defunctis recitentur, vel aliquibus seu paucis personis S. Communio distribuatur. (1)

NOTANDUM :—Regularis, qui ex Ordinis constitutionibus tenetur in fine Missæ recitare Ant. *Salve Regina* cum ℣. et orat. *Omnipot.* debet "juxta probatam praxim respectivi Ordinis" postea rursus recitare Ant. *Salve Regina* et preces nuper præscriptas. S. R. C. 3637 ad VII.

188.—Dicendæ sunt preces cum populo, vel Latine, ubi hæc lingua intelligitur, vel (juxta decr. S. Cong. Ind. 29 Dec. 1884, n. 415) quocunque idiomate, dummodo versio sit fidelis.

189.—Preces recitari debent, junctis manibus, vel sustinendo librum, vel tabellam, quia talis est modus recitandi preces quem rubricæ admittunt. Liberum tamen est Sacerdoti, expleta Missa, se inclinare Cruci Altaris, antequam decendat ad præscriptas preces recitandas; in recitatione precum genuflectendum est sive in suppedaneo, sive in infimo gradu Altaris. S. R. C. 3637 ad VIII. Cf. Van der Stappen, tom. III, qu. 324.

190.—Post dictas Preces addi possunt Laudes Ss. Nominum, vel preces pro Defunctis Indulgentiis ditatæ.

S. C. Indulg. 17 Jun. et 19 Aug. 1904. S. R. C. 3805.

191.—Invocatio *Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis* commendatur a Pio PP. X.

De Communio Fidelium intra Missam.

192.—Intra Missam Communio semper distribui potest, etiam in Missa de *Requie*. Excipe Missam in sacra Nocte Nativitatis Dni, nisi adsit Indultum.

(1) S. R. C. 20 Junii 1913. Cf. *Ephem. Lit.* vol. 27. pag. 725.

193.—Pariter licet sacerdoti paramentis Missæ induto, sacram Communionem administrare immediate ante vel post Missam.

194.—Non licet Communionem distribuere Triduo sacro, i. e. ab expleta Missa Feriæ V. in Cœna Domini usque ad finem Missæ solemnis in Sabbato Sancto; distribui tamen potest Communio infra hanc Missam, ubi viget consuetudo. Ita S. R. C. 2561. Conf. Marc. *Inst. mor.* n. 1540.—Solummodo licet S. Viaticum administrare infirmis hoc Triduo.

195.—Regulariter Communio distribuatur tantum a tempore ad tempus quo Missam sive ex consuetudine, sive ex speciali Indulto celebrare licet. S. R. C. 4136. Sin autem accedit aliqua causa rationabilis, Communio distribui potest etiam ante auroram vel post meridiem, imo sub vesperis. S. R. C. 2572, 23.

OBSERVANDA quoad distributionem:

196.—1. Ostiolum tabernaculi, extracta Pyxide, claudendum est, si Ss. Sacramentum intus remaneat, secus vero apertum maneat.

2. Operculum Pyxidis super corporale ponendum est. Opportunum quoque erit prius conopeum amovere et extra corporale ponere. Post distributam S. Communionem autem prius imponatur operculum Pyxidi, et deinde conopeum. Ita præcavetur periculum distrahendi fragmenta.

3. Purificatorium inter digitos manus sinistræ tenere ad abstergendos digitos dextræ manus quoties opus sit, commendatur a nonnullis Auctoribus, at nullibi præscribitur, neque caret periculo ne particulæ in terram decidant quæ digitis forte adhæreant.

4. Item usus tabellæ seu patenæ metallicæ, quam sacerdos sinistra manu tenens mento communicantis supponit, reprobandus potius quam commendandus videtur.

197.—Intra Missam Communio prius ministranda est ministro Missæ inservienti, etiamsi sit laicus, si ille ad eam accessurus sit. Alii, etiam digniores ratione conditionis post ministrum accedant. S. R. C. 1074.

198.—Laicus Missæ inserviens, etiam si non sit indutus habitu clericali, intra presbyterium seu sanctuarium ad ora suppedanei sacram Communionem recipere potest. S. R. C. 4271, 1.

De solemni Professione et Votorum Renovatione, quæ fit intra Missam ante receptionem S. Communionis. S. R. C. edidit Decretum generale (3836):

199.—"Celebrans PROFITENTIUM VOTA excepturus, sumpto Ss. Eucharistiæ Sacramento, absoluta Confessione ac verbis quæ ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes se convertet: hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Sacræ Eucharistiæ Sacramentum sumet."

"In RENOVATIONE autem VOTORUM, Celebrans ad Altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui nisi pauci sint, omnes simul, uno præeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine Ss. Corpus Domini accipient."

Casus nonnunquam occurrentes.

200.—Sacerdos, qui tempore quo Missa celebratur, Ss. Communionem fidelibus distribuit, audito signo Elevationis sistat, et facie ad altare conversa exspectat donec Celebrans Calicem deposuerit. Cf. V. d. Stappen. III.

201.—Quum ob magnum communicantium numerum, ne ipsa Missa nimis protrahatur, sæpe necessarium sit, ut alius sacerdos Celebranti assistat in distribuenda S. Synaxi, hæc regula servari posse videtur: **1.**) Si assistens una cum Celebrante distributionem incipiat et ante finem Missæ finiat, reposito ciborio absque benedictione populi discedat; 2.) sin autem jam ante Communionem Celebrantis Communionem distributurus est, eundem ritum sequatur ac si extra Missam esset distributurus. In hoc casu, si ante finem Missæ distributionem finiat, benedictionem fidelium omittat, quia ipse Celebrans in fine Missæ benedictionem impertiturus est.

Quodsi distributio fiat ab alio Altari, nihil difficultatis evenit, quum omnia fiant juxta ritum extra Missam.

Quum neque Rubricæ neque Decreta S. R. C. tales casus determinent, *salvo sapientiorum judicio* rem breviter notamus.

202.—**Interruptio.**—Quid observandum quando ad Altare, in quo Sacerdos celebrat, Tabernaculum aperitur ab alio Sacerdote? Van der Stappen vol. III. 9. 340 sequentem normam commendat:

In accessu Sacerdos accedens, convenientius, nisi ratio aliqua urgeat, exspectabit donec Celebrans precem (sc, Orat., Epist., Evang. etc.) aut actionem absolverit, qua finita Tabernaculum aperiet.

Celebrans vero, EXTRA CANONEM finita prece aut actione genu utrumque flectit, quamdiu alius Sacerdos ad Altare occupatus est, et caput inclinat. Si in medio Altaris est, paulum ad alterutrum cornu recedit, ibique genuflectit. INFRA CANONEM, Missam non abrumpit, nec genuflectit; sed, si actione aliqua non est occupatus, potest paulum e medio recedere ad cornu Evangelii, ibique continuare preces.

In recessu Sacerdos cum Ss. Sacram. manibus deferat, non convenit ut expectet finem Orationis aut actionis Celebrantis, sed continuo Tabernaculum aperit et Ss. Sacr. reponit, nisi sit infra Consecrationem et Elevationem Missæ, in quo casu erectus ante Altare expectat Elevationem.

De Communione Fidelium extra Missam.

203.—Extra Missam Ss. Eucharistiam fidelibus ministraturus Sacerdos indutus sit superpelliceo et stola, quæ sive coloris albi, sive officio diei convenientis esse potest. S. R. C. 2740, 12.—Die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum extra Missam stola coloris albi vel violacei adhibenda est. S. R. C. 19 Apr. 1912, 10.

204.—Deficiente ministro sacerdos ipse recitet *Confiteor* non omittendo verba *tibi Pater* et *te Pater*. Cf. n. 130.

Juxta *Ephem. Lit.* XI, 1897, pag. 589, consultius videtur Sacerdotem in hoc casu Confessionem generalem recitare stantem, utique profunde inclinatum ante gradus Altaris; in Missa solemni enim, Diaconus, qui est minister tantum, facit Confessionum stans inclinatus.—Quod mulier ministri locum suppleat, juxta alios inconveniens est, juxta alios omnino prohibitum, nisi sit Monialis, quæ, pro more recepto, intra claustra e fenestella respondeat.

205.—Quoad preces recitandas nihil immutandum

est, sive pro numero, sive pro sexu fidelium. *Corpus D. N. J. Chr.* etc. pro singulis recitandum est, et ad verba *Jesu Christi* caput est inclinandum.

206.—Ad Altare reversus, et facta genuflexione, Sacerdos incipiet Antiph. *O sacrum convivium*, interimque, si quod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponit, eamque claudit, digitos abstergit purificatorio, et reposita Pyxide in tabernaculo iterum genuflectit, et tabernaculi ostiolum claudit. (*Rit. Rom.* S. R. C. 3975, 3.)—Oratio *Deus qui nobis*, junctis manibus dicitur et per conclusionem longam terminanda est.—Antiph. *O sacrum* præcipitur cum versiculis sequentibus ac suis responsoriis et Oratione. (Juxta nov. edit. *Rit. Rom.* Tit. IV, cap. 2. 6 et 7.) Tempore paschali tum antiphonæ tum versiculis et responsoriis additur *Alleluja*, et pro consueta Oratione dicenda est Oratio: *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde: ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dnum N.* ℟. *Amen.*—Si Communio tempore paschali distribuatur ante vel post Missam Defunctorum, omittitur *Alleluja,* dicitur autem Oratio hujus temporis.

207.—In fine Sacerdos benedicit populo, quin osculetur Altare, manus elevans et extendens, dicendo: *Benedictio Dei Omnipotentis* etc.

Conf. Pighi-Ferrais *Lit. Sacerdot.* n. 482—486. V. de St. tom. IV. cap. III.

De Consecratione Ss. Particularum.

208.—"Ss. Eucharistia saltem semel in hebdomade mutetur et renovetur" (Cær. Ep. I. 6, 2.) Ultra quindecim dies mutationem differre a peccato saltem veniali non excusat.

"Hostiæ seu particulæ consecrandæ sint recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat." (*Intellige:* si unum tantum habeatur ciborium seu pyxis.) Rit. Tit. IV, cap. 1, 7. S. Carolus Borrom. prohibuit, ne adhiberentur particulæ ante viginti dies confectæ.

209.—Hostia major pro Expositione, si NONDUM in LUNULA APTATA est, ponatur super patenam ad offerendum una cum Hostia Sacrificii; post oblationem deponatur juxta eandem Hostiam a parte Evangelii.

Post sumptionem S. Hostiæ Sacerdos patenam extergit, et sumpto S. Sanguine, Calicem cooperit, et facta genuflexione, alteram Hostiam in lunula aptat. Tunc, tabernaculum aperit et lunulam—cum vel sine Ostensorio—in tabernaculo reponit, et facta iterum genuflexione tabernaculum claudit. Deinde colligit fragmenta super corporali et sumit ablutionem.

210.—Si vero Hostia major pro Expositione JAM PRÆPARATA fuit in LUNULA crystallis munita. Sacerdos ante Oblationem et præsertim ante Consecrationem aperit hanc lunulam; et facta genuflexione post elevationem Sacræ Hostiæ Sacrificii, eandem lunulam claudit. Post sumptionem Ss. Sanguinis lunulam vel in Ostensorio inclusam, vel solam in tabernaculo reponit modo supra notato. (S. R. C. 3524. 6.)

211.—Quodsi Hostia, quæ adhuc in ostensorio reposita habetur, sumenda est, ut altera in Missa consecrata substituatur, Sacerdos ante sumptionem non colligit fragmenta in corporali, sed tantum extergit patenam super calicem.

Sumpto S. Sanguine, et calice super corporale a parte Evangelii deposito et palla cooperto, Sacerdos aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit ostensorium, et S. Hostiam e lunula aufert. Deinde S. Hostiam super patenam in duas partes dividit et reverenter sumit. Tum lunulam supra patenam extergit a fragmentis, et facta genuflexione S. Hostiam noviter consecratam in lunulam aptat et in ostensorium deponit. Reposito ostensorio in tabernaculo et genuflexione iterum facta tabernaculum claudit. Demum colligit fragmenta in patena et corporali et ablutionem sumit more solito.—Peccaret graviter Sacerdos, qui Hostiam majorem consecratam pro Sacrificio reponeret in Tabernaculum, et ejus loco sumeret Hostiam quæ in Tabernaculo antea continebatur; ipse enim de suo Sacrificio participare debet.

212.—HOSTIÆ MINORES quæ pro administranda S. Communione fidelibus consecrandæ sunt, ab initio Missæ in Pyxide seu Ciborio inclusæ super Corporale prope Calicem, a latere Evangelii ponuntur. Ad Offertorium Pyxis discooperienda est, item ante Consecrationem ad verba *Qui pridie*, peractaque oblatione, vel Consecratione et Elevatione claudatur. Post sumptionem S. Sanguinis in tabernaculum ponatur.

213.—Ratione concursus ingentis populi, cum non suffecerit multitudini pro S. Communione quantitas hostiarum, jam subsequente alia Missa, *statim a Consecratione* distributio S. Communionis (i. e. cum particulis modo consecratis) reassumi nequit, et contrarius abusus est eliminandus. S. R. C. 3448 ad 7.

214.—Si paucæ sint particulæ consecrandæ, juxta Calicem a parte Evangelii super corporale (con-

venienter super aliam patenam, si haberi potest) ponantur, et post sumptionem S. Sanguinis aperto tabernaculo et facta genuflexione, pyxis inde extrahatur, qua purificata novæ particulæ immittantur et in tabernaculum reponatur, quod, facta genuflexione, claudatur. Deinde sacerdos colligat fragmenta et ablutionem sumat more solito.

NOTANDA.

1. Generatim non licet addere Hostias noviter consecratas aliis jam consecratis; sed Pyxis purificanda est antequam Hostiæ noviter consecratæ in ipsam deponantur, Conf. 216.

2. Sacerdos qui infra Missam unam alteramve particulam consecraverit et communicanti porrexerit, non genuflectat antequam ablutionem sumat ob minutas particulas quæ fortasse super patenam remanserint.

De Purificatione Ostensorii, etc.

215.—Ostensorium examinandum est postquam lunula inde detracta, et quando lunula illic imponenda est, si forte aliqua particula inveniatur, quæ digito amovenda est. Hoc tamen vix necessarium est, si lunula omnino clausa est.

Lunula pariter diligenter purganda est quandocunque nova hostia imponitur.

216.—Pyxis purificanda est, antequam novæ particulæ deponantur. Veteres particulæ, si quæ supersint, sumi debent a Sacerdote post sumptionem S. Sanguinis.

NOTANDUM:

217.—Ad purificandam pyxidem non necessario vinum adhibendum est, præsertim si pauciores tan-

tum hostiæ ibi conservantur, vel quando statim post purificationem hostiæ noviter consecratæ deponendæ sunt. Cf. Van der Stappen, tom. III n. 332-334. Pyxidem purificare *post* Missam est omnino contra rubricas. Cf. *Eccl. Review* III. p. 308.

De quibusdam Missis in particulari.

De Missis privatis,

quæ ad libitum *de Feria* vel *Vigilia* legi possunt.(*)

218.—In Feriis Quadragesimæ, Quattuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurat fieri Officium alicujus Festi duplicis minoris vel majoris, (non autem primæ vel secundæ classis) aut semiduplicis, *Missæ privatæ* dici possunt *ad libitum*, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriæ aut Vigiliæ, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi.

Notandum.—Missæ privatæ, quæ ad libitum de Feria dici possunt, sunt Missæ lectæ, nunquam cantatæ.

Hæc Missa Feriæ vel Vigiliæ dicitur sine *Gloria* et sine *Credo*, cum com. Festi. Si hoc Festum sit duplex, non est addenda tertia Oratio, nisi facienda sit com. simplicis. Sin autem Festum sit semiduplex et nulla occurrat com. simplicis, addenda est tertia Oratio juxta diversitatem temporis. Temp. Quadr. dicenda est Oratio super populum. Semper dicitur *Benedic. Dno.*—Collecta ex devotione celebrantis addi nequit in hac Missa feriali, si commemoratur Officium duplex vel semiduplex. S. R. C. 19 Apr. 1912 ad 8.

(*) Rubr. nov., Tit. X. 2 et 5.

Sin autem eodem die festi simul occurrat Feria major et Vigilia, tunc Missa legi potest vel de Festo, vel de Feria, vel Vigilia; cum respectivis commemorationibus. In duobus posterioribus casibus dicitur ultimum Evangelium *In principio*. S. R. C. 6 Dec. 1912, ad V. Conf. Aertnys, *Compend.* n. 210, 4.

219.—Declarationes S. R. C. die 12 Junii 1912.

1. Quandocunque in feriis majoribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus supra-citatis Missa de feria celebratur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest **Oratio pro defunctis** in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel majori.

In Missa de Festo Commem. pro Defunctis addi nequit.

2. Hujusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

3. Quando additur ista oratio pro defunctis, non attendendus est numerus orationum, utrum sit dispar an non.

4. Hæc eadem oratio pro defunctis, semper recitari debet penultimo loco inter orationes ea die a rubricis præscriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

5. Oratio pro defunctis in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis præcipiatur Oratio *Omnipotens, sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

6. Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis Indulgentia Altaris privilegiati, *non necessario*

oportet, ut diebus in quibus permittitur, Missa de Feria omnino celebretur, sed "laudabiliter fieri, cum licet et decet, pietatis gratia erga defunctum," declarat S. C. S. O. 20 Feb. 1913.

Vide *Rubr. novas* Tit. X. 2, et S. R. C. 22 Mart. 1912.

220.—In Festis novem Lectionum Præfationem propriam in Missa habentibus, et infra tempus Quadrag., aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur Missa de Feria cum commem. Festi currentis, adhibenda est Præfatio Temporis (non Festi) utpote propria Missæ. S. R. C. 19 Apr. 1912, ad XII.—Aliis temporibus seu per annum, Præfatio propria festi vel octavæ, cujus facta est commemoratio, dici debet. S. R. C. 24 Maji 1912.

De Missis Votivis.

221.—NOTITIÆ GENERALES.

Missa Votiva stricte sumpta ea est quæ celebratur extra ordinem officii, quia celebratur ex voto seu devotione Celebrantis vel petentis. Latiore sensu etiam dicitur Missa votiva, quæ officio non correspondet, sed a Rubricis præscribitur, uti Missa quæ de festo, per Indultum Apost. quoad solemnitatem translato, in sequenti Dominica celebratur, de qua n. 265 et seq.

Missæ Votivæ sunt vel SOLEMNES seu *pro re gravi* vel PRIVATÆ vel PRIVILEGIATÆ.

De Missa Votiva solemni, (1)

222.—Quæ celebratur *pro re gravi* vel publica Ecclesiæ causa, *auctoritate Ordinarii*, vel ejus consensu.

---

(1) S. R. C. 3922, II.

Causa gravis et sufficiens pro Missa votiva solemni est impetratio beneficii communis, uti pacis, pluviæ, serenitatis, vel avertenda afflictio communis, uti belli, pestis, vel recuperanda sanitas Summi Pontificis, Episcopi, vel electio Superioris Ordinis vel Provinciæ in comitiis generalibus vel provincialibus apud religiosos, S. R. C. 3009. 6.—Non vero causa gravis et sufficiens censetur electio abatissæ, vestitio vel professio religiosa, primitiæ Neo-presbyterorum, Jubilæum 50 annorum, novena, Missa pro sponso et sponsa. Wapelh. n. 27, 2. Aertnys et alii.

223.—Missa Votiva solemnis semper est ritus duplicis, itaque per se *unam* tantum admittit Orationem.

Missa votiva solemnis de jure in cantu celebretur, De Herdt, vol. I. n. 29; Van der St., vol. II. qu. 206. 2°; Appeltern, Vol. I. p. 138, qu. 44; Hartman § 117, n. 3. in fine; *Ephem. Lit.* 1889 pp. 552 et sq. Aliquando talis Missa *sine* cantu speciali privilegio permittitur.

224.—Prohibetur tantum

a.) In Dominicis primæ classis, scil. I Adventus, omnibus Dominicis Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, et Ss. Trinitatis.

b.) In Festis duplicibus I classis;

c.) In Feria IV Cinerum, et tota Hebdomada sancta;

d.) In Vigiliis Nativitatis Dni, et Pentecostes. Cf. S. R. C. 3922, II, n. 2.

Omnibus aliis diebus Missæ Votivæ solemnes permittuntur.

225.—Si diebus prohibitis aliqua Missa votiva solemnis præscribitur, celebranda est Missa Officio

diei conformis, sed Orationi principali hujus Missæ addenda est sub *una* conclusione Oratio Missæ Votivæ. Aliæ commemorationes, si faciendæ sunt, fiunt sub distincta conclusione.

226.—REGULÆ SERVANDÆ in celebranda Missa Votiva solemni:

Unica tantum dicitur Oratio sine ulla commemoratione Dominicæ, feriæ majoris etc., etsi hæc *una* tantum Missa votiva cantatur.—Oratio imperata "pro re gravi" in Missa votiva solemni juxta Decr. 23 Dec. 1914 omittenda videtur, quia talis Missa jure gaudet I classis.

Gloria in excelsis semper dicitur in Missa Votiva solemni, nisi hæc Missa celebretur in colore violaceo.

"Sequentia" semper omittitur.

Credo semper dicitur, excepta Votiva quæ celebratur in aliqua feria hebdomadis in colore violaceo; in Dominica tamen *Credo* dicendum est. S. R. C. 1333 ad 4.

PRÆFATIO dicitur propria Missæ votivæ, si talem habeat, etiam infra octavas privilegiatas quæ proprium habent *Communicantes*, quod tunc in Missa votiva dicendum est. Si autem propria Præfatio non adest, dicitur Præfatio vel de tempore, vel de octava occurrente, vel de Dominica (i. e. de Trinitate), vel communis. Nunquam dicitur Præfatio de Festo occurrente.

Color paramentorum erit juxta qualitatem Missæ quæ celebratur.

Pro CANTU in Missa Votiva solemni tonus solemnis adhibendus est pro Orationibus, Præfatione, *Pater noster*, *Ite Missa est*, et si in colore violaceo celebratur, pro *Benedicamus Dno.*

De Missa Votiva privata.

227.—Missa Votivæ privatæ, quæ ex causa privata celebrantur, permittuntur tantum in simplicibus et semiduplicibus.

228.—Tales Missæ, sive *lectæ* sive *cantatæ* speciatim PROHIBENTUR:

a.) in festis duplicibus;

b.) in Dominicis, etiam in Dominica anticipata;

c.) infra Octavas Natalis Dni, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi;

d.) in Feria IV Cinerum et tota Hebdomada sancta.

e.) in Vigiliis Nativitatis Dni, Epiphaniæ et Pentecostes.

f.) Feriis Rogationum, si processio habetur, ubi unus tantum adest sacerdos, Missa votiva nec legi nec cantari potest.

229.—Missæ votivæ ex privata causa *lectæ* præterea *prohibentur.*

a.) in omnibus Feriis Quadragesimæ et Passionis;

b.) in Feriis Quattuor Temporum;

c.) in Feria II Rogationum.

d.) in Vigiliis communibus.

e.) in Feria in qua reponenda est Missa Dominicæ.

Ex Decreto S. R. C. 8 Febr. 1913 clare patet, ubi sermo est in Rubr. X, 2. de prohibitione Missarum votivarum privatarum, supra dictis diebus, intelligendum esse, de *Missis lectis* tantum: additur enim "firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes, seu in cantu respicientibus." Conf. *Ephem. Lit.* vol. 27, pag. 133, 3.

230.—De MISSIS VOTIVIS de speciali gratia concessis hæc notanda sunt:

1. Missæ votivæ lectæ, quæ in dupl. I vel II classis permittuntur, supra n. 229 citatis diebus legi possunt. Idem valet de Missa votiva Ss. Cordis Jesu prima feria VI cujusvis mensis concessa.

2. Missæ votivæ lectæ, quæ in dupl. majoribus et minoribus tantum permittuntur, supra, n. 229, citatis diebus impediuntur. Licet tamen hujus Missæ Orationem adjungere, in Missa de festo occurrenti post Orationem Feriæ, in Missa de Feria ante alias Orationes.—Excipiuntur Fer. IV Cinerum, et Feriæ II, III et IV Hebdomadis majoris, in quibus non licet addere prædictam Orationem.

3. Si ad talem Missam privilegiatam adsit specialis concursus populi, *unica* Missa lecta ex prædictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

Notandum. — Regula 3 valet pro Feriis Quadragesimæ, Quattuor Temporum et II Rogationum ac Vigiliis, non autem pro Feriis IV Cinerum et II, III ac IV Hebdomadæ Sanctæ, nec pro Vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes, ut patet ex n. 228.

4. Missa lecta pro sponsis parimodo, extra tempus clausum, in feriis IV Temporum et Vigiliis celebrari potest. S. R. C. 8 Feb. 1913.

NOTANDUM.

231.—Diebus, quibus Missa votiva privata prohibetur, non licet talis Missæ commemorationem adjungere Missæ diei, nisi quando tertia oratio *ad libitum* præscribitur, quæ tunc e Missa votiva sumi potest.—Excipiuntur tamen Missæ votivæ privilegiatæ, quæ speciali Indulto in festis duplicibus permittuntur, ut supra n. 230, 2 exponitur.

232.—QUOMODO DICENDÆ SINT MISSÆ VOTIVÆ PRIVATÆ.

In Missis votivis privatis *Gloria in excelsis* omittitur, exceptis

a.) Missis de Ss. Angelis;

b.) Missis B. Mariæ Virg. in Sabbato;

c.) Missis Sanctorum, quæ celebrantur in eorum die, (e. g. S. Theclæ, die 23 Septem.)

d.) Missis Sanctorum vel Mysteriorum, quæ celebrantur infra eorum octavam (e. g. Immac. Concept. die 11 Dec. in festo S. Damasi).

NOTANDUM.

233.—"Sacerdos, qui ex Indulto quotidie celebrat Missam Votivam de B. M. V., *Gloria in excelsis* dicat in Sabbato, haud vero infra octavas ejusdem Beatæ Virginis." S. R. C. 3922. V. 2.

234.—In Missis Votivis privatis dicendæ sunt Orationes saltem tres; dici possunt quinque vel septem.

Si a rubricis quattuor vel sex Orationes requiruntur, quinta vel septima non necessario addenda est.

Post Orationem propriam Missæ Votivæ dicuntur Orationes diei juxta ordinem, deinde Oratio imperata, si talis dicenda est, et tandem aliæ Orationes votivæ ad arbitrium Celebrantis.

NOTANDA.

In Missis B. M. V. (nisi tertio loco commemoratio facienda sit simplicis,) dicenda est Oratio de Spiritu Sancto.

In Missa Votiva de Spiritu S., quæ dicenda est infra aliquam octavam B. M. V., nisi alia commem. occurrat, tertia Oratio dicitur *Ecclesiæ* vel pro Papa.

In Oratione "A cunctis", si tertio loco dicenda est, nomen illius Sancti omittitur, de quo Missa Votiva celebratur.

235.—SEQUENTIA (in Missa Ss. Sacram. et Septem Dolor. B. M. V.) in Missis Votivis semper omittitur.

236.—SYMBOLUM in Missis Votivis privatis non dicitur, nisi infra aliquam octavam, quæ cum *Credo* celebratur, Missa diei sit de die infra octavam: tunc talis Missa non more votivo, sed more festivo dici debet, et dicendum est *Credo.*

237.—Quodsi infra octavam alicujus festi sive Mysterii, sive B. Mariæ V., sive cujuscumque Sancti, quod *Credo* postulat, aliud festum semiduplex occurrat, et Missa votiva de Mysterio vel Sancto, cujus octava agitur, celebranda sit, tunc in tali Missa votiva non solum *Gloria*, sed etiam *Credo* dicendum est, S. R. C. 3922, III, 3.—E. g. Si die 11 Decembris (festo S. Damasi, semid.) infra octavam Immac. Concept. B. M. V., Missa votiva B. M. V. dicenda sit, dici debet, ut in festo (8 Dec.) cum *Gloria* et *Credo.*—Sed die 28 Junii (festo S. Leonis II. semid.), infra oct. S. Joannis Bapt., Missa votiva de S. Joanne dicenda est *sine* Symbolo, quia in festo *Credo* non dicitur.

238.—PRÆFATIO dicitur propria, quæ Missæ Votivæ convenit, si propriam habet; sin autem non habet, dicitur communis, vel de tempore, vel de octava, si talis præfatio eo die esset dicenda.

239.—In Missis Votivis propriam Præfationem non habentibus, si celebrentur die in qua fit Officium

S. Mariæ in Sabbato, de eoque facienda est commemoratio, legitur Præfatio B. Mariæ V. cum verbis *Et te in Veneratione.* S. R. C. 19 Apr. 1912 ad XI.

240.—Præfatio in Missa Votiva privata tono feriali cantanda est.—Idem valet de Orationibus, *Pater noster*, *Benedicamus Domino* et *Ite Missa est.*

241.—Quid faciendum si cantus ferialis alicujus Præfationis in Missali non reperiatur ? Si peritia sua fretus, feriali ratione valeat Celebrans Præfationem canere, optime se geret; secus stet Missali; non enim obligari potest Celebrans ad diversam ab ea, quam præ oculis habeat, notationem exsequendam. (*Ephem. Lit.* III, 1889, p. 332.)—In ultimis editionibus Missalis post Appendices Missarum reperitur Præfatio de Nativitate in cantu feriali.

242.—*Benedicamus Domino* dicitur, exceptis Missis, in quibus dicitur *Gloria.* In hoc casu *Ite Missa est* dicendum est.

243.—In Missa votiva, (i. e. cantata, sed non solemni,) si facienda est commemoratio Feriæ majoris vel Vigiliæ, quæ propriam Missam habent, de iisdem ultimum Evangelium dicendum est. Nov. Rubr. X, 2.

Diversæ Missæ Votivæ.

Missæ Votivæ dici possunt vel de Mysterio, vel de B. Maria V., vel de Sancto aut Sancta, vel de aliqua necessitate, ut sequitur.

Missae Votivae de Mysteriis.

244.—In Missali habentur inter Missas Votivas:
Missa de Trinitate;
Missa de Spiritu Sancto;
Missa de Ss. Sacramento;
Missa de Cruce;
Missa de Passione.
Præter has more votivo dici possunt:
Missa Ss. Nominis Jesu;
Missa Pretiosissimi Sanguinis;
Missa Sacratissimi Cordis Jesu, de qua specialius tractabitur;
Missa Ss. Redemptoris et Instrumentorum Passionis, ubi Indultum viget.

245.—De aliis Mysteriis, quæ per annum celebrantur, atque de Dominicis vel feriis Missa votiva celebrari nequit. Van der St. II. 9. 229. 3.

Si Missa petatur in honorem Pueri Jesu, cujus imago Pragis colitur, Missa Festi Ss. Nominis Jesu sumi potest. Van der St. II. qu. 229. 3.

246.—Quoad **Orationes** et **Præfationem** in hisce Missis observandæ sunt regulæ supra (n. 232-240) expositæ. In singulis Missis Præfatio propria designatur.

Color. In Missa Ss. Trinitatis, Ss. Sacramenti, Ss. Nominis Jesu, Ss. Cordis et Ss. Redemptoris color albus, in Missa de Spiritu S., de S. Cruce et Instrumentis Passionis color ruber, in Missa de Passione color violaceus adhibendus est.

Missae Votivae de B. Maria Virg. (1)

247.—Missa Votiva de Beata Virgine, sive sit privata, sive solemnis debet esse una ex quinque Votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum aliave approbata ut tamquam votiva dici possit. Tales sunt Missa *Gaudens gaudebo* (in cujus Secreta dicitur *Commem.* loco *Solem.*) de Immaculata Conceptione et Missa Septem Dolorum, et, ubi Indultum viget, Missa Purissimi Cordis B. M. V., de Perpetuo Succursu. S. R. C. 3922. V., et Missa Apparitionis (*Lourdes*) e 11 Feb. S. R. C. 4238, 1.—Missæ sub variis titulis B. M. V., ex. gr. de Monte Carmelo, Ss. Rosarii etc. nunquam dici possunt more votivo. S. R. C. 3605. V. 2, et 3924. 2.

248.—Sin autem infra octavam alicujus festi B. M. V. Missa Votiva de ea dicenda est, dicitur Missa de tali octava cum *Gloria* et *Credo*, etiam si officium non fit de die infra octavam, sed de alio festo semiduplici. Cf. n. 237.

249.—In Vigilia Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., etiam in implemento oneris, celebretur Missa de Vigilia, in colore violaceo. S. R. C. 3858 ad 2.

250.—Missæ Votivæ B. M. V. etiam novemdiales, debent esse ex Votivis ut supra; nunquam vero de ejus Festivitatibus, nisi in ipsis Festivitatibus et per octavas earum. Missæ hujusmodi, utcunque solemnes, celebrentur sine *Gloria*, nisi in Sabbato, et sine *Credo*, et cum tribus Orationibus, nisi speciale habeatur indultum. S. R. C. 3922. V, 3,

(1) S. R. C. 3922. §. V.

Quæ de Missis novemdialibus dicta sunt, eadem fere dicantur de Missa *Rorate* in honorem Beatæ Virginis quotidie per Adventum in aliquibus Ecclesiis cantari solita: quæ quidem neque in Dominicis aut Festis duplicibus, neque cum unica Oratione et cum *Gloria* et *Credo* celebranda est, nisi peculiare interveniat indultum. S. R. C. *ut supra*.

251.—Quoad Orationes in Missa Votiva B. M. V. dicendas, vide n. 234, *Notanda*.

In Missis Votivis B. M. V. dicitur in Præfatione ejusdem: *et te in Veneratione*, in Missa de Immac. Conceptione autem: *in Conceptione immaculata*, et in Missa de Septem Dolor.: *in Transfixione*.

In Missis Votivis B. M. V. adhibeatur color albus, exceptis Vigiliis, n. 249, notatis.

Missae Votivae de Angelis.

252.—Missa Votiva de Angelis seligi potest ex sequentibus, prout casus postulat:

Missa Votiva "Benedicite";

Missa S. Michaelis, 29 Septembris, vel, tempore paschali, 8 Maji;

Missa S. Angeli Custodis, 2 Octobris;

Missa S. Gabrielis, 18 Martii, et S. Raphaelis 24 Octobris, ubi Indulto concessa est.

253.—In exsequiis parvulorum Missa de Angelis legatur vel cantetur diebus tantum a Rubricis permissis. S. R. C. 3481 ad 2.

Missae Votivae Sanctorum.

254.—Missæ SANCTORUM CANONIZATORUM et quorum nomina in Martyrologio Romano inscripta sunt,

more votivo celebrari possunt, dummodo veritas verborum servetur. S. R. C. 3922, III, 1.

Missæ "BEATORUM" sine speciali Indulto more votivo dici nequeunt. S. R. C. 1568.

255.—NOTANDA.

1. Eæ Missæ partes quæ extra ipsum diem festum incongruæ sunt, vel mutantur vel omittuntur. E. g. mutantur verba *festivitas*, *natalitia* et similia in *memoria*, *commemoratio*, etc.; omittuntur verba *hodie*, *hujus diei*, et similia.

2. Si proprius Introitus non convenit, Introitus sumatur e respectivo Communi Sanctorum. Sic Introitus *Gaudeamus*, ubi occurrit, in alium mutatur, qui vel in Missa ipsa indicatur, vel de Communi sumatur.

3. In Graduali, Tractu etc. fiunt mutationes pro temporis diversitate, et quæ in loco proprio non habentur, ex Communi sumuntur.

4. Missa, si ex. gr. tempori Paschali adaptata est, extra illud tempus sumenda est quæ tempori convenit.

5. Quodsi Missa non in Proprio Sanctorum, sed in calce habetur, ea quæ præter Orationem propria sunt, de respectivo Communi suppleantur.

6. Missa, si in missali deest, sumatur e Communi quæ qualitati Sancti respondet.

256.—Pro Missa Votiva S. Joseph, Sponsi B. Mariæ V., sumenda est Missa in solemnitate S. Joseph (olim Dom. 3 p. Pascha). Missa diei 19 Martii more votivo dici nequit. S. R. C. 3764 ad 9.

257.—Missæ Votivæ de Ss. Apostolis dicendæ sunt, prout casus et tempus postulat.

De Apostolis *in genere* dicitur illa Missa, quæ notatur inter Missas votivas, per annum, in fine missalis ante appendicem.

Rubricæ pro diversitate temporis servandæ post prædictam Missam habentur.

258.— De Ss. Apostolis **Petro et Paulo** habetur Missa Votiva inter Missas votivas post Missas B. M. V. p. ann., ubi notatur quid agendum sit pro diversitate temporis. Hæc Missa dici potest de alterutro Apostolo, quia duo isti Apostoli nunquam separantur.

In Missis votivis Ss. Apost. Petri et Pauli Oratio secunda dicitur: *Concede nos famulos tuos*: in votivis omnium Ss. Apostolorum: *A cunctis.* S. R. C. 3612 ad 1.

Missa in honorem Conversionis S. Pauli sumi potest e 25 Januarii, cum commem. S. Petri.

Aliæ Missæ de S. Petro, quæ habentur in Missali, e. g. S. Petri ad Vincula, more votivo dici nequeunt.

259.—De **S. Joanne** Apost. pro diversitate temporis sumenda est, vel Missa de 6 Maji, vel de 27 Decembris, Orationes autem semper sumuntur e 27 Dec.

260.—De aliis Apostolis dici possunt Missæ eorum propriæ ex respectivis festis, mutatis mutandis. Tempore Paschali omnia sumantur e Missa S. Marci cum Orationibus, Epistola et Evangeliis propriis.

Quomodo agendum sit si Missæ votivæ petantur in hon. nonnullorum Sanctorum, e. g. S. Joannis Baptistæ, exponitur ubi de Festis Sanctorum per annum tractabitur.

261.—Pro Missa Votiva **Omnium Sanctorum** dici potest Missa festi 1 Novembris cum Introitu *Sa-*

pientiam de Communi plurimorum Martyrum et Oratione *Concede, quæsumus* quæ est prima inter Orationes diversas.

Missae Votivae pro Necessitatibus.

262.—Pro diversis necessitatibus sive publicis sive privatis Missæ Votivæ in missali suis locis designantur, in quibus color violaceus adhibetur. Cf. Missale.

263.—Occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, pro qua nulla Missa specialis in Missali notatur, sed adest tantum Collecta, ex. gr. ad petendam pluviam etc., dicenda foret Missa *Pro quacunque necessitate* et addatur Orationi talis Missæ Oratio *pro speciali necessitate* sub unica conclusione. S. R. C. 3605 ad IV. et 3922, II, 3.

264.—Pro Gratiarum Actione dicenda est vel Missa de Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria V., addita (in solemni Missa votiva) *sub una conclusione*, (in Missa privata sub distincta conclusione post commemorationes præscriptas.) Oratione: "Deus cujus misericordiæ." Missale, Rubr. post Miss. votiv. de Trinit.—Color sit conveniens Missæ.

Van der Stappen II, 9. 233. Aertnys, *Compend. Lit. Sac.* 8 ed. n. 112.

Missæ privilegiatæ.

Missæ Votivæ privilegiatæ eæ vocari possunt, quæ pro certis casibus specialibus privilegiis fruuntur. De quibus Missis nunc tractatur.

N. B. Missis votivis privilegiatis accensenda est Missa pro Sponso et Sponsa, de qua postea sub titulo "De Sacramento Matrimonii" tractabitur.

Missa translatae Solemnitatis.

Diversa Decreta et Indulta exstant ad Solemnitatis translationem spectantia.

265.—Juxta Decr. 28 Oct. 1913, Festa, quæ antea Dominicis erant assignata, in posterum die fixa mensis celebranda sunt, exceptis Festis Ss. Nominis Jesu et Ss. Trinitatis. Solemnitas externa autem talium Festorum in ipsa Dominica, cui antea erant assignata, celebrari potest, ita ut

a.) quoad *Festa duplicia I classis* omnes Missæ tum cantatæ, tum lectæ de Festo celebrari possint, præter Missam Conventualem et Parochialem, quæ semper de Officio diei legenda vel cantanda est. Eodem privilegio gaudet Solemnitas Ss. Rosarii.

b.) Quoad cetera *Festa duplicia II classis* una tantum Missa sive solemnis, sive lecta permittitur.

c.) Omnes Missæ de hisce Solemnitatibus in Dominica celebratæ semper dicuntur ut in ipso Festo, addita Oratione Officii diei et aliis commemorationibus, quæ dicendæ forent, si Festum in Dominica incidisset. Ultimum Evangelium dicitur de Dominica. De Simplici non fit commemoratio. Cf. *Ephem. Lit.* vol. 28. p. 238, XV.

d.) Prohibetur Missa de translata Solemnitate in omnibus Dominicis majoribus, et in aliis Dominicis in quibus fit Officium Festi nobilioris. In hoc casu Oratio de Solemnitate translata sub unica conclusione addatur primæ Orationi Officii diei, scil. in omnibus Missis quæ alioquin de hac Solemnitate permitterentur.—Orationem hanc non potest addi in Festis dupl. I cl. universalis Ecclesia, e. g. Paschæ.

Afferamus exemplum: Si in I Dominica Octobris occurrat Dedicatio Ecclesiæ et Festum S. Francisci, in Missa Dedicationis Oratio Ss. Rosarii addenda esset sub unica conclusione Orationi Dedicationis, tunc fiat commem. Dominicæ et S. Francisci.

CONSECTARIA.

De Festis dup. II cl. in una tantum Missa in hoc casu addi potest Oratio in Missa diei.

In Missa conventuali et parochiali eadem Oratio addi nequit.

e.) Ubi adest obligatio Missæ Conventualis non permittitur alia Missa solemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit in ipsa Missa conventuali.

f.) In parœciis ubi adest unus Sacerdos qui unam tantum celebrat Missam, Parochus in dictis Dominicis, sine speciali Indulto S. Sedis, eam Missam parochialem pro populo applicare nequit, sed Missam correspondentem Officio diei celebrare debet. S. R. C. 4269, 8.

266.—Decretum S. R. C. 3754 definiens regulas Indulti (1) transferendæ Solemnitatis externæ Festorum Epiphaniæ, Ss. Apost. Petri et Pauli et Patroni loci (resp. diœceseos) ad Dominicam proximiorem statuit sequentia:

a.) Unica Missa more votivo canenda est, ut in Festo, cum *Gloria*, una Oratione, *Credo* et Evang. S. Joannis in fine. Ubi tamen non adsit Missæ conventualis obligatio addatur Commem. Dominicæ sub distincta conclusione, et ejus Evangelium in fine.

---

(1) Supradictum Decretum pro Ecclesiis Galliæ datum, Indultis S. Sedis 19 Dec. 1840 et 25 Nov. 1885, quoad Festa Ss. Apost. Petri et Pauli, atque Ss. Corporis Chr. ad diœceses Fœder. Statuum Americæ Septent. extensum est.

b.) Si Festum ipsum incidat in Dominicam I classis (Palmarum excepta) cantabitur Missa de Dominica, addita sub una conclusione Oratione Festi. In Dom. tamen Palmarum aut in Festo solemniore Ecclesiæ universalis nulla fit commemoratio.

267.—Præterea, quoad solemnitatem Titularium sub die 3 Febr. 1903 Leo XIII indulsit omnibus diœcesibus Statuum Fœderatorum Americæ Borealis, ut, quibus annis titulare festum in diem ferialem inciderit, firma manente obligatione celebrandi Missam et persolvendi officium de eodem festo, die in Kalendario affixa, extrinseca ejus solemnitas cum Missa solemni et Vesperis transferri possit ad Dominicam proxime insequentem, dummodo non occurrat festum ritus duplicis primæ classis vel Dominica juxta rubricas privilegiata. Ergo Solemnitas festi Titularis *non licet* transferri ad

Dominicam I Adventus,
Dominicam I, II, III et IV Quadragesimæ,
Dominicam Passionis,
Dominicam Palmarum,
Dominicam Paschatis,
Dominicam in Albis,
Dominicam Pentecostes,
Dominicam Ss. Trinitatis, et
Dominicam qua celebratur festum quodcunque primæ classis.

"Quoties Patronus (de quo solemnitas transfertur in Dominicam sequentem) non habet Præfationem propriam, adhibenda est Præfatio de Ss. Trinitate seu de tempore." S. R. C. 3683.

268.—Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi

concursu (cujus rei judex erit Ordinarius), Missæ de eodem Festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur. Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicæ, aut Feriæ, aut Vigiliæ, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur. *Rubr. novæ*, Tit. X, 3.—Eadem facultas conceditur, si tale Festum in Dominica in perpetuum ad instar simplicis redactum commemoretur. S. R. C. 19 Apr. 1912 ad V.

269.—Alias, si nullum habeatur Indultum, quando contingit, ut aliquod festum, præsertim Patroni vel Titularis, quoad extrinsecam solemnitatem, a propria die in aliam diem e. g. proximam vel aliam Dominicam transferatur, talis translatio ex gravi causa et auctoritate Ordinarii fieri debet. S. R. C. 2804, 9.

Solemnitas autem consistit præcipue in Missa solemni et Vesperis pariter solemnibus. Indulgentiæ quæ hanc ob rationem concessæ sunt, pariter translatæ censentur. (S. C. Ind. 9 Aug. 1852, n. 360.)

Quod autem ad Missam solemnem attinet, hæc de die occurrenti, juxta Ordinem seu Directorium celebranda est.

Missa Votiva de Ss. Corde Jesu.

270.—Missa privilegiata (S. R. C. 3712), quæ celebrari potest in Feria sexta, quæ prima in unoquoque mense occurrit, *quando peculiaria exercitia in honorem Divini Cordis* mane *peraguntur*, gaudet privilegiis Missæ votivæ solemnis, sive legitur, sive cantatur.

Quæ Missa celebrari non potest

a.) In Festis dupl. primæ classis;

b.) In Festis Domini, quibus accensendum est Fest. Purificationis, B. M. V. (2 Feb.)

c.) In Vigilia Epiphaniæ, et Octavis Epiphaniæ, Ascensionis, Paschatis, Pentecostes.

d.) In Commemor. Omnium Fidel. defunct, 2 vel 3 Novembris. S. R. C. 3855 ad 2.

271.—Notanda.

1. Tempore Quadragesimali et in Vigiliis quando Missæ votivæ privatæ prohibentur, Missa privilegiata de Ss. Corde *legi potest.* S. R. C. 8 Febr. 1913, 1.

2. Diebus festis *de præcepto*, ubi unus tantum adest sacerdos, qui applicare debet pro populo, Missa de Ss. Corde celebrari non potest. S. R. C. 4093.

3. Diebus ab Indulto exceptis Missæ diei currentis *non* potest addi commemoratio Ss. Cordis Jesu.

272.—In Missa *Miserebitur*, quæ in corpore Missalis initio mensis Junii habetur, semper dicenda est Præfatio de Cruce. In Missa *Egredimini*, in appendice posita, ubi concessa est, a Dom. Trinitatis usque ad Septuages. Præfatio de Nativitate, a Septuag. vero usque ad Pentecosten Præf. de Cruce dicitur.—Utraque Missa in colore albo celebranda est.

N. B. In Missa *Miserebitur*, si extra festum ipsius et extra tempus paschale tamquam votiva dicitur, omitti debent *Alleluja* in fine Introitus, Offertorii et Communionis. S. R. C. 3764 ad 10. (In serie Decretorum error irrepserat quoad Responsum S. R. C., qui in Indice generali emendatus est.)

273.—*Una* tantum Missa in eadem ecclesia supradicto privilegio gaudet.

Quodsi prima Feria VI occurrat Officium, quod admittit Missas votivas privatas, tunc una tantum Missa more solemni celebrari potest, aliæ Missæ ad libitum de eodem Ss. Corde dici possunt, sed tamquam Missæ votivæ privatæ, scil. sine *Gloria*, sine *Credo*, cum tribus saltem Orationibus, et *Benedicamus Domino*. Conf. n. 234 et seq.

274.—Si Missa de Ss. Corde coram Ss. Sacramento solemniter exposito dicitur, commemoratio de Ss. Sacramento omittitur. S. R. C. 2717; 3924 ad 4.

275.—Post Missam votivam *lectam* de Ss. Corde Jesu prima cujusque mensis feria sexta celebratam cum privilegiis Missæ solemnis pro re gravi, preces a Leone XIII præscriptæ OMITTENDÆ sunt. S. R. C. n. 3697, 7. et n. 4271, 2.—Quoad Devotionem Ss. Cordis, conf. n. 679 et 680.

Missa quae dicenda est post Consecrationem Ecclesiae vel Altaris.

276.—Peracta Consecratione Ecclesiæ vel ipse Consecrator vel alius celebrare debet Missam in Dedicatione Ecclesiæ "Terribilis," quæ dicitur ritu solemni cum "Gloria" et "Credo," et unica Oratione. Adduntur tamen commemorationes illæ, quæ nunquam omittuntur, i. e. Dominicæ, Feriæ majoris, diei Octavæ, dierum infra Octavam privilegiatam.(1) Præfatio dicitur communis, vel de Dominica, in qua dicitur Præfatio de Trinitate, nisi occurrat Tempus vel Octava, quæ propriam præfationem habent. Nunquam dicenda est Præfatio propria festo

(1) Missa enim non est votiva, quia cum Officio subsequenti concordat.

occurrenti eo die. In fine dicitur Evangelium S. Joannis, nisi facta fuerit commem. Dominicæ, aut Feriæ, quæ proprium Evangelium habet. Van der St. II 297; Schulte *Consecranda.*

277.— Quoad alias MISSAS die Consecrationis DICENDAS observandum est:

1. Missæ, quæ celebrantur *ante* Consecrationem, dicuntur de Officio currente; quæ vero *post* consecrationem, si plures dicendæ sunt, omnes de Dedicatione fiant, quia officium diei cessat peracta consecratione.

2. Quod autem ad OFFICIUM attinet, clerus talis Ecclesiæ ab Hora Tertia de Dedicatione, quæ autem præcedunt, de officio diei recitent. S. R. C. 2868.

278.—PROHIBETUR Missa Dedicationis Dominicis I Adventus, totius Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, et in Albis.

In festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis et duobus diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes et duobus diebus sequentibus, Trinitatis et Corporis Christi.

Feria quarta Cinerum et tota Hebdomade sancta.

Hisce diebus commemoratio Dedicationis additur Orationi diei sub *una* conclusione.

279.—Diebus sequentibus Missa "Terribilis" celebratur, addita sub *una* conclusione Oratione diei:

In festis Circumcisionis Dni, Ss. Cordis;

Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.;

Nativitatis S. Joannis Bapt., S. Joseph, Ss. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum;

Infra octavas Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes a feria quarta usque ad Dominicam sequentem.

Vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes.

Ultimum Evangelium dicitur S. Joannis: *In principio*. Cf. Van der St. II q. 298, B.; *Ephem. Lit.* I. pag. 546.

280.—Hisce diebus (n. 278 et 279 enumeratis) peracta Consecratione Officium diei continuandum est ab hora Tertia, et, si aliæ fortasse Missæ celebrandæ sunt, dicuntur de die, *non* de Dedicatione. Van der St. *ut supra*.

CONSECRATIO ALTARIS.

281.—Post CONSECRATIONEM ALTARIS fixi dicenda est in eodem Missa "Terribilis" cum unica Oratione *Deus qui ex omni*, quæ invenitur post Missam Dedicationis. S. R. C. 3605. 3.

282.—Ubi plura altaria eodem die consecrantur, sufficit, ut in uno tantum prædicta Missa celebretur.

Hac de re cf. Schulte: *Consecranda*, pag. 223.

BENEDICTIO ECCLESIÆ.

283.—BENEDICTIO ECCLESIÆ vel ORATORII publici vel semi-publici fit juxta ordinem Ritualis Romani.

Finita Benedictione, si dies Missam solemnem pro re gravi admittat, dicatur *ritu solemni* Missa de Sancto in cujus honorem Ecclesia est benedicta, secus dicenda est Missa de tempore occurrente, vel de Sancto, de quo fit officium cum commem. sub *una* conclusione Missæ votivæ, aliis commemorationibus, si forte occurrunt, additis sub altera conclusione. S. R. C. 3605. dub. 2. Cf. Regulas Missæ vot. sol. n. 226.

Hac de re cf. Schulte: *Benedicenda*.

BENEDICTIO PRIMARII LAPIDIS.

284.—Missa dicenda peracta *benedictione* et impositione *primarii lapidis* pro Ecclesia ædificanda:

1. Missa de Sancto, in cujus nomine Ecclesia fundatur, prohibetur diebus solemnioribus infra annum, n. 278 et 279 enumeratis.

2. Hæc Missa (de respectivo Sancto) cantanda vel legenda est tamquam Missa votiva solemnis pro re gravi.

3. Episcopus hanc Missam non ipse celebrare tenetur, sed alius sacerdos illam celebrare potest. S. R. C. 3605 dub. 1.

Hac de re cf. Schulte: *Benedicenda.*

De Missa in solemniis Beatificationis et Canonizationis

285.—Data est sequens **Instructio** super Privilegiis, quæ in Triduo vel Octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione per Rescriptum S. R. C. a summo Pontifice concedi solent.

1. In talibus solemniis Missæ omnes de ipsa festivitate ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo* et cum Evangelio S. Joannis in fine, nisi legendum fuerit ultimum Evangelium Dominicæ aut feriæ, aut vigiliæ, quoties de his facta fuerit Commemoratio.

2. Missa solemnis seu cantata, ubi altera Missa saltem lecta de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica Oratione; secus fiant illæ tantummodo commemorationes, quæ in duplicibus primæ classis permittuntur. Conf. n. 478-480.

Missæ vero lectæ dicantur cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed orationibus de tempore et collectis (sc. orat. imperat.) exclusis.

Quoad Præfationem serventur Rubricæ et Decreta. Conf. n. 169 et 170.

3. Missam *cantatam* IMPEDIUNT tantum

Duplicia primæ classis,

Dominicæ I classis,

Feriæ, vigiliæ et octavæ privilegiatæ, quæ præfata duplicia excludunt. Conf. n. 474, 1.

Missas *lectas* IMPEDIUNT etiam

Duplicia secundæ classis,

Dominicæ II classis, et

Feriæ, vigiliæ atque octavæ, quæ Duplicia primæ et secundæ classis excludunt. Conf. n. 474, 1.

In his casibus impedimenti Missæ dicendæ sunt de occurrente Festo vel Dominica aliisve diebus, ut supra, privilegiatis, prout ritus diei postulat, cum commemoratione de Sancto vel Beato et quidem sub unica conclusione cum Oratione diei in duplicibus I et II classis; aliis autem diebus commemoratio de Sancto vel Beato fiat sub distincta conclusione post orationem diei.

4. In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro populo, ejusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit.

5. Quamvis Missæ omnes, vel privatæ tantum, impediri possint, nihilominus secundas Vesperas de ipsa Festivitate solemniores facere licebit absque ulla commemoratione; quæ Vesperæ tamen de Festivitate pro satisfactione inservire non poterunt.

6. Aliæ functiones ecclesiasticæ præter recensitas,

de Ordinarii consensu, semper locum habere poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnia, vel vespere Oratio panegyrica, preces in honorem Sancti vel Beati, et maxime solemnis Benedictio cum Ss. Sacramento. Postremo vero Tridui vel Octidui die Hymnus *Te Deum* cum versiculis *Benedicamus Patrem, Benedictus es, Domine exaudi, Dominus vobiscum* et oratione *Deus cujus misericordiæ* cum sua conclusione nunquam omittetur ante *Tantum ergo* et orationem de Ss. Sacramento. S. R. C. 22 Maji 1912.

INDULGENTIÆ.—Christifideles qui Ecclesiam vel Oratorium publicum, ubi talia solemnia peraguntur, visitaverint ibique ad mentem Sanctitatis Suæ per aliquod tempus oraverint, lucrari possunt: 1.) INDULGENTIAM plenariam sub consuetis conditionibus et 2.) INDULGENTIAM CENTUM DIERUM semel unoquoque die.—Quæ Indulgentiæ possunt applicari animabus in purgatorio detentis.

De Missis Defunctorum.

Quattuor in Missali habentur Missæ Defunctorum.

286.—PRIMA Missa dicitur

a.) In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, (2 vel 3 Novembris).

Missa in cantu de commem. Omn. Fid. defunct. non est præscripta in ecclesiis ad chorum non obligatis.

b.) In die obitus seu depositionis (et in die quo accipitur nuntius de obitu), necnon die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Summi Pontificis, Cardinalium et Episcoporum cum Orationibus pro-

priis, quæ post Missas Defunctorum in missali inveniuntur.

c.) Pro Sacerdotibus defunctis, diebus præfatis, dici potest prima vel secunda Missa, dummodo adhibeatur oratio *Deus qui inter apostolicos.* S. R. C. 2417, 8. Cf. V. d. St. II, 325.

287.—SECUNDA Missa dicitur

a.) In die obitus seu depositionis (et in die quo accipitur nuntius de obitu) Sacerdotum (nisi dicatur prima, ut supra ad *c.*), aliorumque sive clericorum, sive laicorum.

Quando in die Comm. Omn. Fid. Defunct. occurrit dies alicujus defuncti depositionis, una tantum sumenda est Missa exsequialis, ut in die obitus.

b.) In die tertio, septimo et trigesimo eorumdem cum Orationibus in fine hujus Missæ assignatis.

288.—TERTIA Missa dicitur

In Anniversario laicorum et clericorum sacerdotibus inferiorum.—Pro Sacerdotibus, ut supra dictum est, Missa prima adhiberi potest.

Pro Anniversario late sumpto supradicta Missa (i. e. quoad Orationes) sumi non potest.

NOTANDUM.

Tres Missæ supradictæ (nn. 286, 227, 288) privilegiis gaudent, ut mox dicitur, et sunt ritus duplicis, in quibus una tantum Oratio dicitur. Quodsi Officium iis diebus dicendum est, recitabitur ritu duplici. S. R. C. 3920, I. Conf. n. 503.

289.—QUARTA Missa, *quotidiana*, dicitur

Quando infra annum extra dies supra memoratos Missa de *Requie* dicenda est sive pro Summo

Pontifice, sive pro Cardinalibus vel Episcopis vel Sacerdotibus, sive pro omnibus, sive pro particularibus fidelibus.

290. — Orationibus, Epistolis et Evangeliis exceptis, quattuor illæ Missæ inter se non differunt. Quoad Epistolas autem et Evangelia post quartam Missam rubrica habetur: "Epistolæ et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis." Notandum tamen est: Diebus depositionis et anniversario Summi Pontificis prima Missa semper est sumenda. Idem valet quoad Episcopos, pariterque pro diebus III, VII et XXX eorumdem defunctorum.

291.—MISSAM EXSEQUIALEM cantatam *cadavere* physice vel moraliter (cf. 233.) *præsente* impediunt[1]

a.) Festa solemniora Ecclesiæ universalis: Nativitatis Dni, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes Trinitatis, Corporis Christi et in Dominica infra Octavam, in quam transfertur Solemnitas externa Corporis Christi, (S. R. C. 4274).

Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.;

Nativitatis S. Joannis Baptistæ;

Solemnitatis S. Joseph Fer. IV ante Dom. III post Pascha; vide infra *f.*

Ss. Apost. Petri et Pauli, vide infra *f.*

Omnium Sanctorum.

b.) Triduum Sacrum.

c.) Tempus solemnis Expositionis Ss. Sacramenti.

---

(1) S. R. C. 3655, ad 1.

N. B.—Missa de Requie *extra* Altare, ubi Ss. Sacramentum in pyxide expositum est ex *privata* causa, non prohibentur. S. R. C. n. 2390 ad IV.

d.) Festa solemniora localia, scil. Patroni principalis loci, Anniversarium Dedicationis et Titularis propriæ Ecclesiæ.

e.) Quoad Regulares, Festa Titularis et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis impediunt Missam exsequialem.

f.) Festa sive universalis Ecclesiæ, ut S. Joseph et Ss. Petri et Pauli, sive particularia (sub *d* et *e* memorata), quando eorum solemnitas externa vel juxta Decretum 28 Oct. 1913, vel speciali Indulto (conf. n. 266 et 267) ad insequentem Dominicam transfertur, Missam exsequialem non in ipso Festo, sed in ista DOMINICA tantum impediunt. S. R. C. 3755, 1 et 4003, I, 1.

g.) Præterea Missa exsequialis prohibetur in ecclesiis ubi unicus est sacerdos, et Missa parochialis seu conventualis dicenda est, aut Missa Rogationum vel Vigiliæ Pentecostes, quæ transferri non possunt. S. R. C. 3755, ad 1. et 4258.—Idem valet si in Feria IV Cinerum *unicus* Sacerdos cineres benedicere debet. S. R. C. 4076, II.

292.—'*Cadaver absens* ob civile vetitum, vel morbum contagiosum [vel aliam causam gravem] non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret *physice præsens*, ita ut Missa exsequialis in casu licite cantari valeat, quoties *præsente* permittitur.'' (S. R. C. 3767, 26.)

MISSÆ PRIVATÆ PRIVILEGIATÆ.

293.—In quibuslicet Ecclesiis et Oratoriis etiam

privatis Missæ *privatæ* (etiam plures) dici possunt die vel pro die obitus vel depositionis, dummodo applicentur pro defuncto cujus corpus est physice vel moraliter præsens: *sub conditione tamen*, quoad Ecclesias et Oratoria publica, *ut Missa exsequialis cum cantu non omittatur.*

PROHIBENTUR, præter dies, n. 291, enumeratis: *a.*) in duplicibus primæ classis, *b.*) in Festis de præcepto, *c.*) in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, *d.*) die Octava Epiphaniæ et Corporis Christi; *e.*) infra Octavas Paschatis et Pentecostes; *f.*) Feria IV Cinerum; et *g.*) tota Hebdomada sancta. S. R. C. 3903; et 3944.

N. B.—Eodem Indulto gaudent Capellæ navium et Altaria in navibus erecta pro sacro litando. S. R. C. 4069, ad 6.

294.—Si agitur de Oratorio privato Missæ de Requie dici possunt singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, modo cadaver sit physice præsens in domo. S. R. C. 4192, 1.

295.—In **Sacello Sepulcreti** rite erecto Missæ de Requie celebrari possunt diebus non impeditis Festo duplici I vel II classis, Dominica vel Festo de præcepto, et Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis. S. R. C. 3903. Conf. n. 293.

296.—Pro *paupere* defuncto, cujus familia impar est solvendo expensas Missæ exsequialis cum cantu, hæc Missa *legi* potest sub iisdem clausulis et conditionibus quibus præfata Missa cum cantu cancoditur, dummodo in Dominicis aliisque Festis de præ-

cepto non omittatur Missa officio diei currentis respondens. S. R. C. 4024.

297.—MISSA EXSEQUIALIS, si corpore sepulto, obveniente die vetito, ultra biduum post obitum celebranda sit, PROHIBETUR

a.) omnibus diebus n. 291 enumeratis;

b.) omnibus Dominicis, et Festis de præcepto,

c.) Festis primæ et secundæ classis;

d.) diebus, qui excludunt duplicia 1 et 2 classis: scilicet Feria IV Cinerum, tota Hebdomade Sancta, Vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes, diebus infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi.

Permittitur reliquis diebus, modo transferatur in primam diem liberam post sepulturam.

298.—ACCEPTO **nunti de obitu** alicujus in loco dissito,(1) cantari potest Missa de Requie pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum nuntium, exceptis diebus sequentibus:

a.) Omnibus diebus Dominicis,

b.) Festis dupl. 1 et 2 classis;

c.) Festis de præcepto;

d.) Infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi;

e.) Feria quarta Cinerum et Hebdomada sancta;

f.) Vigiliis Nativitatis Dni, et Pentecostes;

g.) Tempore Expositionis Ssmi Sacramenti.

299.—E supra dictis liquet:

1.) Si Sabbato post meridiem accipiatur nuntius

(1) S. R. C. 3755, 3; 4096. 5.

de obitu alicujus in loco dissito, Missa de Requie cantari potest feria secunda sequenti, etsi Officium sit duplex non festivum. S. R. C. 2461 ad 6.

2.) Si die proximo post acceptum talem nuntium Missæ privatæ de Requie permittantur, Missa privata de die obitus cum una Oratione legi potest. In hoc casu Sequentia legi debet.

300.—MISSAM CANTATAM de "Requie" diebus 3, 7, 30 vel anniversario ab obitu vel a die sepulturæ [1] (S. R. C. 3753, 4.) IMPEDIUNT:

a.) Duplicia I et II classis;

b.) Dominicæ, et Festa de præcepto;

c.) Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes;

d.) Dies infra octavas privilegiatas Nativitatis Dni, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi;

e.) Feria quarta Cinerum et tota Hebdomas sancta;

f.) Tempus solemnis Expositionis Ss. Sacramenti.

g.) In ecclesiis parochialibus ubi *unus* tantum est sacerdos, diebus Rogationum, si fiat Processio, talis Missa non licet.

Missa ut supra impedita anticipari vel transferri debet in primum diem liberum.

301.—Anniversaria sunt vel *stricte* sumpta de quibus supra agitur, sive sint fundata, sive privata, i. e. ex petitione vivorum, vel *late* sumpta.

Anniversaria late sumpta sunt ea quæ fiunt semel in anno, die fixo vel non fixo in communitatibus

---

(1) In computando die terrio. septimo, trigesimo ipse dies obitus vel sepulturæ includi potest. Van der St. II. 347.

religiosis, Confraternitatibus etc.—Ista anniversaria prohibentur, præter dies supra dictos, etiam in duplicibus majoribus.

Alia anniversaria quæ præter diem vere anniversarium a fidelibus petuntur, nullo gaudent privilegio, sed tamquam Missæ quotidianæ habenda sunt.

302.—Missæ, quæ dicuntur GREGORIANÆ *omnino* debent legi triginta diebus continuis ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum, et diebus quibus Officium permittit *non necessario,* sed laudabiliter legatur Missa de Requie. S. Cong. S. Off. Dec. 1912.

303.—Missa de Requie **Quotidiana** privata, i. e. lecta, PROHIBETUR:

a.) In omnibus Festis duplicibus;

b.) In omnibus Dominicis;

c.) In omnibus Vigiliis;

d.) Infra Octavas privilegiatas;

e.) Toto tempore Quadrag., excepta prima die libera cujusvis hebdomadæ, exclusa Hebdomada Sancta;

f.) Feriis Quattuor Temporum;

g.) Feria II Rogationum;

h.) Feria in qua fit Officium de Dominica anticipata; vel Missa Dominicæ reponitur.

i.) Tempore Expositionis Ss. Sacramenti.

N. B.—Ista prohibitio generalis est, ita ut etiam Missæ lectæ de anniversario alicujus defuncti interdicantur. S. R. C. 19 Apr. 1912, ad IV.

304.—PRIVILEGIUM MISSÆ LECTÆ pro defunctis, lubi exsistit, occurrente aliquo duplici majori ve

minori, ita est applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua Feria privilegiata aut Vigilia, EXCEPTIS:

1.) una Missa, quæ pro defuncto paupere celebrari potest juxta decr. n. 4024;

2.) item Missis, quæ in die obitus vel pro die obitus, necnon quæ in sepulcretis celebrantur ad normam decreti, n. 3903;

3.) item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscujusvis hebdomadæ in Quadragesima juxta novas rubricas. S. R. C. 8 Feb. 1913.

305.—Missa *Quotidiana* CANTATA prohibetur, ut supra *a.*) *b.*), *d.*), *i.*), Vigil. Nativ. et Pent. atque Fer. IV Cinerum et tota Hebdom. sancta tantum.

Orationes quæ in singulis Missis dicendæ sunt:

306.—Die COMMEM. OMNIUM FIDELIUM defunctorum dicitur Oratio primæ Missæ.

307.—Die OBITUS seu DEPOSITIONIS

a.) pro summo Pontifice, Cardinali, Episcopo vel Sacerdote dicitur Oratio dignitati defuncti conveniens, una ex *Orationibus diversis;*

b.) pro clericis inferioribus et pro laicis dicitur Oratio Missæ *Deus cui proprium.*

Pro Cardinali Episcopo: *N. Episcopum Cardinalem Pontificali;* pro Cardinali Presbytero insignito charactere Episcopali: *N. Presbyterum Card. Pontificali;* pro Cardinali charactere tantum presbyterii insignito: *N. Presbyterum Card. Sacerdotali fecisti dignitate vigere.*

Ad litteram *N* in orationibus exprimitur nomen (baptismale) defuncti si notum est.

308.—Diebus 3, 7 et 30

a.) pro Summo Pontifice, Episcopis et Sacerdotibus dicitur Oratio, ut supra ex *Orationibus diversis.*

b.) pro aliis defunctis dicitur Oratio *Quæsumus* in fine Missæ secundæ posita.

309.—Die Anniversario

a.) pro Summo Pontifice, Episcopis et Sacerdotibus dicuntur Orationes ut supra 307. a.

b.) pro benefactoribus et propinquis dici potest Oratio *Deus veniæ largitor;*

c.) pro aliis defunctis dic. Or. *Deus indulgent.* ex eadem Missa, mutatis numero et genere pro casu.

d.) In anniversariis stricte sumptis laicorum, quæ fundata sunt extra diem vere anniversarium ab obitu vel depositione, Oratio *Deus indulgentiarum* sumi potest. S. Aertnys. *Comp. Lit.*

310.—Quando celebratur Missa pro defuncto de cujus **obitu nuntius** accipitur, quoad orationes eædem regulæ sequendæ sunt, ut supra n. 307.—Sin autem ista Missa ultra diem primam non impeditam differtur, Missa quotidiana sumenda est cum tribus orationibus, quarum prima dicitur pro defuncto, de quo agitur.

311.—In Missis **quotidianis** lectis tres saltem Orationes dicendæ sunt: prima pro *defuncto* vel *defuncta* vel *defunctis certo designatis*, secunda ad libitum, tertia vel ultima *Fidelium.*—In Missa quotidiana cantata tres tantum Orationes permittuntur.

Si vero pro Defunctis *in genere* Missa celebretur, Orationes sunt dicendæ, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptæ.

312.—In Missa quotidiana, si pro pluribus defunctis determinatis celebratur sumi potest una alterave ex Orationibus pro pluribus defunctis (nn. 11, 12), demendo *famularumque*, si pro pluribus masculis, vel omittendo *famulorum*, et dicendo *famularum*, si pro pluribus feminis Missa dicenda est. Sin vero pro duobus defunctis, quorum unus est vir, altera mulier, dicendum est *famulorum tuorum* etc. S. R. C. 4074, 7.

313.—Tres vel quinque vel septem (i. e. numero impari) orationes generatim dici debent, nisi aliqua oratio sit imperata, quæ tertio loco et ante orationes votivas dicenda est. Cf. Missale Rubr. gen. Tit. V. et S. R. C. 3920.—Ultimo loco oratio *Fidelium* semper dicenda est.

314.—**Sequentia** *Dies Iræ* semper dicenda est in Missis quibusvis cantatis de Requie et in Missis lectis quando *una* tantum dicenda est Oratio.—In Missis quotidianis non cantatis Sequentia ad libitum recitari vel omitti potest. Cf. Missale.

315.—*Dies iræ* in Missa de Requie cum cantu prætermitti nequit: quia omnia quæ precationem Suffragii respiciunt, cantari debent, n. 2959 ad 2; et verba *precatio Suffragii* includunt etiam Sequentiam *Dies iræ*. S. R. C. 3051 ad 1.—Conf. n. 319 et 322.

316.—"Sacerdos cui erogatur **eleemosyna** ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicujus Mysterii, B. Mariæ Virg., vel Sancti; satisfacitne obligationi suæ Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam?" ℞ "Affirmative; sed consultius est, ut quantum fieri possit,

intentioni eleemosynam dantis satisfiat per Missam vel de Requie, vel votivam: S. R. C. 4031 ad 4.

Missa de Requie licite celebratur ad intentionem dantis, et ad satisfaciendum obligationi dummodo ne diverse præscripserit, qui dedit eleemosynam.

☞ Quæ ad exsequias spectant, in alia parte hujus operis inveniuntur. Vide Indicem sub *Exsequiæ*.

De Cantu Sacro.

Quod S. Augustinus aliique Patres de cantus ecclesiastici decore et utilitate docuerunt, ut *per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat*, id Romani Pontifices auctoritate sua apostolica perficere studuerunt. Quam causam Benedictus XIV. in constit. *Annus* diei 19 Feb. 1749, fusius tractat. S. R. C. decr. 3830, diversas, quæ ad cantum spectant, regulas servandas proponit.

Pius X., P. M., autem *Motu proprio* diei 22 Novembris 1903 INSTRUCTIONEM DE MUSICA SACRA promulgavit eamque ubique locorum servari jussit.

Præcipuas hujus Instructionis partes breviter hoc loco notantur.

REGULÆ GENERALES.

317. — 1. In sacra Liturgia generatim **Cantus Gregorianus** juxta recentiores emendationes sequendus est. (3)—In solemnibus Ecclesiæ liturgiis, potissimum in Cathedralibus aliisque majoribus ecclesiis, necnon in sacrariis seminariorum et conventuum polyphonia classica (Prænestini) commendatur. (4.)

2. Textui liturgico stricte adhærendum, quare sermo vulgaris a cantu liturgico omnino excluditur, et omnis mutatio, inversio vel repetitio verborum interdicitur. (7, 8, 9.)

3. Cantores utpote rebus divinis cooperantes, quamvis non sint clerici, viri religione et pietate conspicui sint, qui pie et devote sacris quum adsint, munere, quo funguntur, digni videantur.—Mulieres ergo, quum muneris liturgici incapaces sint, eo ipso a munere cantus liturgici excluduntur. Ubi voce acutiore opus est, perantiquo ecclesiastico more hæ voces a pueris edantur. (13, 14.)

4. Quoad usum instrumentorum, præter organum, annuente Episcopo, alia permittuntur, uti Cæremoniale Episc. præcipit. (15.)

5. Cantus vocalis debet superesse, organum et musica instrumenta eum tantum sustineant, non opprimant. (16.)

6. Non licet longa præludia præmittere cantui vel partibus intermediis cantum interrumpere. (17.)

7. Prohibita sunt instrumenta sequentia: cymbala (*piano forte*), tympanum (*tamburo-drum*), magnum tympanum (*grancassa-big drum, kettle drum*), tintinabula (*campanelli-little bells*) et similia instrumenta strepitantia. (19.)

8. Usus instrumentorum musicorum non permittitur in Officio defunctorum; in Missa et Absolutione post Missam sonus organi aliorumque instrumentorum tantum adhibeatur ad sustinendas voces et sileant organa cum silet cantus juxta Cærem. Episc. lib. I cap. 28, n. 13. S. R. C. 15 Apr. 1905.

9. Generatim omnino damnandum, ut malus usus, in sacris solemniis liturgiam inferiorem locum habere, quasi musicorum sit ancilla, at contra tantum pars liturgiæ. (23.)

318.—Instructio Pontificia de Sacra Musica, quum non solum consilii seu directivam, sed præcepti vim

habeat, ab omnibus Rectoribus Ecclesiarum stricte servanda, neque absque gravi culpa negligi potest. Attamen negari non potest in multis, præsertim ruralibus, locis difficultates exsistere, quæ accuratam observantiam impediant. Quam ob causam dubium S. R. Congni propositum, et responsum datum est, ut sequitur:

Licebitne permittere, ut puellæ ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in ecclesia assignatis, separatim a viris, partes invariabiles Missæ cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas cantent? ℟ *Affirmative* et ad mentem. Mens est, 1° ut intra Christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis: et 2° ut ubi officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, præsertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda et caute semper, ut quævis inordinatio vitetur. S. R. C. 4210.

Iterato dubio exposito eadem Cong. S. R. mentem suam declaravit, ut sequitur:

Per omnes fere regiones Statuum Fœderatorum Americæ Septentrionalis, nomine chori designatur solummodo quidam cœtus paucorum cantorum, tum fœminarum quum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra Missas solemnes cantandi. Hic chorus, seu cœtus virorum ac mulierum, seu puellarum, in loco ejus soli usui destinato, extra cancellos, imo plerumque longissime ab altari positus est, nec alius habetur chorus, qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quæritur: utrum, ratione habita Decreti de cantu mulierum in ecclesiis

(n. 4210, 2, 17 Jan. 1908), quo declaratum fuit, ut viri et pueri quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis, talem chorum seu cœtum virorum et mulierum supradescriptum, in loco ab altari remotissimo positum, et chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Et S. R. C. respondendum censuit: "Prout exponitur, *negative*, et ad mentem."—*Mens* est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata super his Ordinariorum conscientia. S. R. C. 4231.

Versio Anglica hujus Instructionis Pontificiæ habetur in *Amer. Eccl. Review*, Vol. 30. p. 115 et 509.

AD ORDINEM MISSÆ PERTINENTIA.

319.—Partes, quæ in Missa solemni, vel cantata sine Ministris sacris, a cantoribus cantandæ neque unquam omittendæ sunt: Introitus, *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, Graduale, Tractus, Sequentia, *Credo*, Offertorium, *Sanctus*, *Benedictus*, *Agnus Dei*, et Communio. S. R. C. 2959 ad 2; 3365 ad 7; 3624 ad 11.

320.—Cantores Introitum tantum incipere debent, dum Celebrans ad altare pervenit. S. R. C. 2424, 7. Cær. Ep. II, 8, 30.

321.—*Gloria in excelsis* et *Ite Missa est* in tono de B. M. V. infra octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi est canendum. Ergo in Festis S. Stephani Protomart., S. Joannis Apost. Evang. et in Festis infra octavam Corpor. Christi incidentibus; generaliter, quoties Præfatio de Nativitate Domini di-

cenda est, tonus B. M. V. adhibeatur, S. R. C. 3421, seq. dub. 1, 2, 3.: imo quoties in Officio doxologia *Jesu tibi sit gloria, Qui natus,* dicitur.

322.—Attamen Offertorium et Communio submissa voce dici possunt, interim pulsante organo; *Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus Dei*, possunt alternatim cum organo cantari; *Credo* vero debet semper cantari per integrum. S. R. C. 2994 ad 2; 3108 ad 15; Cær. Episc. L. I, cap. 28, n. 6-9. Quando organa pulsantur, *Graduale, Offertorium* et *Communio*, si non cantentur, recitanda sunt voce alta et intelligibili, S. R. C. n. 4189 ad I.—In Missis Defunctorum, si partes tantum Sequentiæ cantantur, reliqua debent recitari.

Ubicunque autem organum adhibetur, initium et finis, et ea quæ inclinationem vel genuflexionem exigunt, semper cantanda sunt.

323.—Dum a cantoribus canitur Symbolum non licet Celebranti Missam prosequi, et dum a Celebrante canitur Præfatio, vel Oratio Dominica, organa silere debent, quæ tamen pulsari possunt, ubi est consuetudo, ad respondendum ad *Ite Missa est.* S. R. C. 1936; 4009; 2951 ad 5. *Deo gratias* sub organo cantari debet notis gregorianis. S. R. C. n. 4189 ad II.

324.—Cantores ad elevationem in Missa solemni silere et cum ceteris adorare debent Ss. Sacramentum. Elevatione peracta usque ad Orationem Dominicam aliquid modulari licet, dummodo de iis, quæ ex Liturgia canenda sunt, nihil prætermittatur, Celebrans a Missa continuanda non impediatur, et quod concinitur ad Ss. Sacramentum pertineat. S. R. C. 3827 ad 3.

NOTANDUM.

Juxta Cærem. Episc. lib. II, cap. VIII, n. 70: "Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus qui venit* etc. exclusive, QUO FINITO ET NON PRIUS elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et cum aliis adorat. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est;" n. 71.: Elevato Sacramento Chorus prosequitur cantum *Benedictus qui venit* etc.—Instructio quoque pontificia, n. 22. pari modo celebrantem monet: "*Sanctus* Missæ ante elevationem perficiatur, ideoque etiam sacerdos celebrans cantorum rationem habeat."

325.—Intonationes et modulationes cum responsionibus ex præcepto servari debent, prout in Missali jacent. S. R. C. 3891; 3292 ad 2.

326.—Cantare lingua vernacula tam in Missa solemni, dum sacra Communio distribuitur per notabile tempus, quam in solemni Processione cum Ss. Sacramento, alternatim cum Hymnis liturgicis, non licet. S. R. C. 3975. 5.

327.—*Organum* pulsari non licet in Missis de tempore Adventus, et Quadragesimæ, exceptis Dominica tertia Adventus, vigilia Nativitatis Domini,(1) Dominica quarta Quadragesimæ, feria quinta in Cœna Domine usque ad finem *Gloria in excelsis,* necnon exceptis festis et feriis, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur, vel cum lætitia pro aliqua re gravi. Cær. Episc. L. I., cap. 28, n. 2. S. R. C. 4067, 6.

---

(1) Conf. Buchauer *Ordo perpet.* pag. 59.

Decreto n. 4265, 2. S. R. C. ad quæsitum: "An Organum liceat adhibere ad associandum et sustinendum cantum, etiam in Officiis et Missis. in quibus sonus organi prohibetur," respondit: Affirmative, in casu necessitatis, excepto ultimo tridui Hedomadæ Majoris."

Conf. Decr. generale, n. 3827, quo supradictæ regulæ pari modo inculcantur.

328.—Infra Missam privatam, non autem infra solemnem vel cantatam, si mos est, cani licet preces vel hymni in lingua vernacula, ex. gr. in honorem Sancti vel Mysterii, cujus Festum agitur, S. R. C. 3880; 3496, 1.

De Missa solemni.

Pauca tantum de Missa solemni notantur unde aliquando dubia oriri solent.

329.—Quoad plures Missas, sive cum, sive sine Ministris sacris, canendas in eadem Ecclesia, eadem die et de eodem Officio S. R. C. (3921) declarat: "Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quæ, præter Conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem habent. Quapropter præfatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale Officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas."

330.—Quænam a Diacono et Subdiacono tenendæ sint normæ pro genuflexionibus peragendis in Altari?

a.) "Diaconus et Subdiaconus," dum ab uno latere

in alterum transeunt, "Sacramento non exstante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio; Sacramento vero exstante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere."

b.) "Diaconus et Subdiaconus," dum ab uno latere in medium pergunt vel e medio ad altare ascendunt, "Sacramento exstante super Altaria, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt: excepto Diacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non exstante super Altari, nunquam genuflectunt, præter Subdiaconum, quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione, ibi stat." S. R. C. 4027.

NOTANDA.

1. Si non adest Magister Cæremoniarum, primus acolythus accipit et tradit librum Epistolarum Subdiacono. Van der Stappen *De Cærem. Mis. sol.*

2. Missam solemnem celebrare cum solo Diacono et Subdiacono sine aliis Ministris non licet. S. R. C. 3104, 2.

331.—"*Gloria* et *Credo*, non alternatim a Celebrante et Ministris recitari debent, sed totum ab omnibus est dicendum, non præveniendo nec sequendo, sed concomitanter." S. R. C. 3248 ad V.

N. B. Ad *Flectamus genua*, quando in Missa solemni dicendum est, Diaconus genuflectit, non vero Celebrans, qui autem genuflectit in Missa privata. Missal. Rit. tit. V, 4 et 5.

332.—Ubi consuetudo invaluit, ut qui concionem facturus inter Missarum solemnia benedictionem petat a Celebrante, talis consuetudo servari potest, sed benedictio petatur cantato Evangelio et Celebrante thurificato, et Celebrans, qui benedictionem dat concionatori, dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties verba sancta sua. In nomine Patris etc.* S. R. C. 3334; 3535 ad IV; 3855. VI.

333.—Thurificatio Ss. Sacramenti duplici ictu in triplici ductu facienda est etiam intra Missam solemnem ante Introitum et ad Offertorium, juxta Decretum 3110 ad XX, ubi statuitur, "ut unusquisque ductus debeat perfici duplici ictu."

334.—Quando exstat super Altare, præter Crucem, etiam Reliquia S. Crucis in Missa et in Vesperiis solemnibus Reliquia simul cum Cruce thurificanda est. S. R. C. 4026 ad 1.—Imago Divini Infantis, si in principe loco super Altari exposita est, post Crucem triplici ductu thurificanda est. S. R. C. 3288.

335.—Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni non tenentur pectus percutere ad *Nobis quoque peccatoribus*, sed tantum ad *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus.* S. R. C. 3535, 3.

336.—*Confiteor* in Missa solemni (non pontificali) a Diacone recitandum est alta voce, quando Communio distribuenda est. S. R. C. 4104, 2.

337.—In Missa solemni Celebrans dicere debet *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, non autem *Ite Missa est.* S. R. C. 2572, 22.

Ite Missa est dum in Missa cantatur, pulsandi tantum Organum ad respondendum consuetudo servari potest. S. R. C. 2951 ad 5.

338.—Ut Missa solemnis aliquando in meridie incipiat et protrahatur usque ad horam secundam vel amplius, permitti potest "prudenti abritrio Ordinarii." S. R. C. 4044 ad IV.

339.—Presbyter assistens cum pluviali a quocunque sacerdote solemniter celebrante non adhibeatur. Talem abusum esse eliminandum S. R. C. (3408) declaravit; item decr. 3588.—Toleratur talis assistentia in prima Missa novi sacerdotis S. R. C. 3564 ad 1 et 2.

340.—Si in Missa solemni inservire debeant Presbyter et Diaconus, æquum est, ut Diaconus officium sui ordinis exerceat, etc. *Ephem. Lit.* XXI, p. 362.

341.—Quoad **Clericum** Subdiaconi locum in Missa solemni supplentem S. R. C. 4181, ad II, Decretum generale promulgavit, quo anteriora decreta ad eandem rem spectantia omnia revocantur vel emendantur:

I. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem tonsura initiatus.

II. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica sine manipulo sit indutus, atque omnia, quæ ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expleat, hisce tamen exceptis: *a.*) aquam ante Offertorium in calicem *non* infundat, quod in casu Diaconus præstabit; *b.*) calicem infra

actionem *nunquam* tangat, neque pallam ab eo removeat aut super eum reponat; *c.)* post ablutionem calicem *non* abstergat (abstergente ipso celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

In Missis de Requie talis Clericus ergo *a.)* Celebrantis manus lavet ad Offertorium, *b.)* Ss. Sacramentum incenset post consecrationem, *c.)* *Sanctus* et *Agnus Dei* recitet cum Celebrante et Diacono. Conf. *Ephem. Lit.* Maii 1906.

De Missa cantata sine Ministris sacris.

342.—Missa cantata sine Ministris sacris medium tenet inter Missam solemnem et privatam. Distinctionem Missale (Rit. celebr., tit. 6. n. 8) indicat: "Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis: Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missæ cantet *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace*, pro temporis diversitate."

Præter partes, quæ cantandæ sunt a Celebrante, hæc Missa quoad Celebrantem non differt a privata, nisi excipias quod Celebrans in Missa cantata sedere potest, dum a choro decantatur *Gloria*, *Credo* et Sequentia.

343.—Ad altare accenduntur saltem quattuor candelæ ex cera, possunt tamen etiam sex accendi,

sed non plures. Coram Ss. Sacramento exposito plures accenduntur, ut alibi dicetur.

344.—Duo acolythi inserviunt. Qui, si clerici sunt ordinati, calicem præparare et super corporale in altari ponere possunt, item missale aperire.

345.—"In Missa quæ cum cantu, sed sine Ministris celebratur, (nisi adsit speciale Indultum) incensationes omnes omittendæ sunt; si vero, dum hæc Missa cantatur, Ss. Sacramentum super Altare est expositum, incensationes in Missa pariter omittendæ sunt, et Ss. Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur." S. R. C. 3328 ad I.

346.—*Kyrie* semper dicendum est in *medio* Altari, sive acolyti sub Introitu Celebranti ad latus assistant, sive non. C. Schober, Miss. sol. et pont. p. 165.

347.—Observanda quoad cantum.

1.) Non licet in Missa cantata sine ministris Celebranti omittere cantum aliquarum collectarum neque aliarum partium, quæ ab ipso juxta rubricas sunt cantanda.

2.) Usus ut in Missa cum cantu sine Ministris sacris solum responsa celebranti, uti *Amen, et cum spiritu tuo etc.* latine fiant, reliquo vero Missæ tempore cantilenæ vernaculæ devotionem foventes a fidelibus cantentur, prohibetur. S. R. C. 3994.

3.) In Missa cum cantu absque ministris, deficiente lectore qui Epistolam canat, Epistola legatur sine cantu. S. R. C. n. 3350.

De Missa privata

coram Ss. Sacramento exposito celebranda.(1)

348.—1. In altari duodecim saltem candelæ ex cera accendantur.

2. Sacerdos celebraturus, si ab ipso Venerabile ante Missam exponendum est, more solito ad altare procedat, disposito calice et missali aperto, ad medium altaris reversus, recludit tabernaculum, genuflectit, extrahit capsulam seu pyxidem cum S. Hostia, claudit ostiolum tabernaculi, et lunulam in ostensorio ponit. Si forte S. Sacramentum digitis tangat, eos in vasculo abluat. Collocata S. Hostia ostensorium in corporali deponit et genuflectit.

3. Interim, dum Sanctissimum exponitur, ex laudabili consuetudine— non ex præscripto—a cantoribus cantari solet *O salutaris Hostia* vel alius hymnus vel antiphona in honorem Ss. Sacramenti.

4. Sacerdos mox admoto scabello ostensorium in throno super corporali ponit, iterata in suppedaneo genuflexione, lateraliter a parte Evangelii ad planum descendit, ibi in infimo altaris gradu genua flectit, surgit et posito incenso Ss. Sacr. thurificat. Mox, reddito thuribulo, Missam more solito inchoat.

5. Si autem ostensorium cum Ss. Sacramento in tabernaculo asservatur, sacerdos aperto tabernaculo et facta genuflexione illud statim in throno collocat, et in suppedaneo, iterata genuflexione, descendit, ut supra.

6. Si autem Ss. Sacramentum jam expositum est, sacerdos capellam ingressus, ubi in conspectum Ssmi venit Missam celebraturus, ministro birretum tradit

(1) Conf. Wapelhorst Schober, Van der Stappen et alios.

et postquam in medium altaris pervenit, in plano utrumque genu flectit et caput profunde inclinat.

Postquam ad altare ascendit, deponit calicem, unum genu flectit et, explicato corporali, calicem in eo collocat, et iterata genuflexione ad cornu epistolæ accedit, missale apperturus. Sin autem corporale jam sit explicatum super altare, calicem in eo deponit, et facta genuflexione missale aperit.

Reversus ad medium genuflectit et descendit Missam inchoaturus, ut supra dictum est.

7. Facta confessione, ubi iterum ad altare ascendit, genuflectit, et dicta oratione *Oramus te Dne* etc. altare osculatur, iterum genuflectit et procedit ad librum Introitum lecturus. Deinde ad medium reversus et genu flexo, dicit *Kyrie* et *Gloria*. Osculato altari iterum genuflectit et se ad populum vertit, sed non totaliter, cavens ne tergum vertat Sanctissimo, et dicit *Dominus vobiscum*: sic faciet quotiescunque se ad populum vertere debet, genuflectendo ante et post. Tunc Missam prosequitur more solito.

In Evangelii lectione, quotiescunque occurrit nomen Jesu, celebrans inclinationem facere debet, non versus librum, sed versus Ss. Sacramentum expositum. S. R. C. 3875 ad 4.

8. Ad lavandas manus per gradus laterales cornus Epistolæ in planum descendit, et a latere sinistro se vertens, ne Sacramento terga vertat, facie ad populum versa, manus lavat et eadem via ad medium altaris redit.

9. *Oratefratres* dicturus osculatur altare, genuflectit et aliquantulum ad populum conversus, humeris autem partem Evangelii respicientibus, dicit *Orate fratres*: et tunc, quin circulum perficiat, reversus ad

altare genuflectit, et usque ad Communionem more solito procedit.

10. Ad *Sanctus* et *Elevationem* non pulsanda est campanula, neque ad *Domine non sum dignus.*

11. Prima sumpta ablutione calicem intra corporale ponit, genuflectit et modo consueto accipiens calicem ad cornu Epistolæ digitos purificat.

12. Dicto *Placeat*, dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, et facta genuflexione se convertens aliquatulum versus populum, ut ad *Orate fratres*, benedictionem impertit. Tum, quin circulum perficiat, absque nova genuflexione ad legendum ultimum Evangelium pergit. Signat librum vel tabellam, non vero altare (i. e. si Ss. Sacramentum stet super mensam.[1]) —Ad *Verbum caro factum est* Sacerdos genuflectit non versus cornu altaris, sed versus Ss. Sacramentum sine capitis inclinatione. S. R. C. 3875, 4.

349. — Finito Evangelio in medium revertitur, genuflectit et ad planum descendit preces a Leone XIII præscriptas recitaturus, nisi fiat Benedictio post Missam, vel Missa celebretur cum aliqua solemnitate. Conf. n. 187. Deinde, nisi benedictio Ss. Sacramenti fiat, dum Sanctissimum maneat expositum, ad altare ascendit et facta genuflexione, sumit calicem, descendit, et in plano utrumque genu flectit, profunde inclinans, surgit et discedit ad sacristiam.

350. — Quodsi autem statim post Missam Expositionis benedictio Eucharistica habeatur, facta in infimo gradu profunda reverentia, ut modo dictum est, ad scamnum se confert sacerdos, ut planetam

---

(1) Juxta Martinucci. Cf. Van der Stappen III. pag. 416.

cum manipulo deponat et pulviale ejusdem coloris assumat. Ad altare reversus utroque genu flexo profunde inclinatus Sanctissimum adorat et genuflexus manet in infimo gradu, donec ad *Genitori* surgat et imposito incenso more solito Ss. Sacramentum thurificet.

Finito hymno sacerdos cantat *Panem de cœlo* etc. cum Oratione Ss. Sacramenti.

Deinde accepto velo humerali ad altare ascendit, genuflectit, deponit Sanctissimum ex throno in altari, iterataque genuflexione, sumit illud manibus velo coopertis et per dexteram "vertens se ad populum, cum Illo signum Crucis super populum facit, nihil dicens." Conf. 388-398.

351.—Dum Missa cantatur coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, facienda est commemoratio de Sacramento post alias omnes Orationes de præcepto, sed ante imperatas et in Missis celebrandis in Festis I et II classis eadem commemoratio facienda est sub unica conclusione. S. R. C. 2323, 1; 3328, 2;—Cf. n. 144 et 145.

352.—Minister in Missa privata justa de causa ad altare, ubi Ss. Sacramentum expositum est, celebrata, in accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu debet genuflectere. S. R. C. 3426 ad VI.

In Altari expositionis Ss. Sacramenti Minister, qui transfert missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, in plano ante medium Altaris unico genu genuflectat; ad offertorium et purificationem, tam ante ascensionem ad altare, quam post descensionem de eodem, in plano genuflexio est facienda. S. R. C. 3975 ad I.

De Missa privata ab Episcopo celebranda

353.—Observanda sunt sequentia:

Nota.— Duo saltem cappellani requiruntur, qui Episcopo sacra facienti inserviant. Attamen in locis ruralibus ubi pauciorse habentur sacerdotes vel clerici in sacris constituti, plerumque fit ut vix unus (isque sacerdos loci) adesse possit,

1. Super medio altaris parantur planeta, stola, cingulum, alba et amictus. Versus cornu Evangelii (in Missis de Requie cum reliquis paramentis) manipulus, et Missale apertum in legili ponitur. Duo cerei accendantur diebus communibus, diebus autem solemnibus quattuor vel plures.

2. In abaco præparantur calix et, præter ampullas vini et aquæ, alius urceus cum pelvi et manutergio ad lavandas manus. Præterea ibi habeantur duo intorticia seu candelæ majores quæ accendantur sub fine Præfationis.

3. Ante altare paratur genuflexorium cum strato[1] et duobus pulvinaribus quæ brachiis et genibus substernantur. Super genuflexorium ponitur canon pontificalis (vel ea deficiente missale) et scotula cum candela ardente.

4. Capellanus Episcopum apud portam ecclesiæ, si ita mos est, recipit, aquam benedictam porrigit et ad genuflexorium perducit; canonem (vel missale) apertum super genuflexorium ante Episcopum ponit, ut preces consuetas recitare valeat, scotulam manu sinistra tenens ad dextram Episcopi in plano genua flectit.

5. Capellanus (itemque pueri inservientes, si adsint) ante Crucem altaris transiens, quamquam Ss. Sacramentum ibi non asservetur, semper genuflectit.

6. Peracta præparatione, Episcopus ad infimum

(1) Generatim viridis coloris.

gradum altaris progreditur, et Cappellanus interim canonem apertum in medio altaris ponit loco tabellæ secretarum, scotulam autem ad dextras missalis. Mox Episcopus stans ad infimum gradum, cappellano adjuvante, sacras vestes induit, excepto manipulo.—(In Missis autem defunctorum Episcopus manipulum assumit ante Missam cum ceteris paramentis.) Quibus indutus Missam incipit more solito, Capellano ad sinistram genuflectente et manipulum tenente.

7. Ad *Indulgentiam* capellanus surgit et manipulum, de more osculans, brachio Episcopi imponit.

In Missis de tempore Passionis Episcopi assumere debent manipulum ante ℣ *Deus tu conversus,* ut in aliis Missis de Festo seu vivorum. S. R. C. 3575 ad III.

8. Peracta confessione capellanus surgit et cum Episcopo ad altare ascendit, ad dextram missalis se sistit, et Episcopo respondens et folia vertens, cum ipso se cruce signans, genuflectens, etc.

9. Ad *Munda cor* capellanus missale et scotulam ad cornu Evangelii transfert et ad sinistram stans Episcopo respondit.

10. Dicto Evangelio (et *Credo*, si dicendum est) capellanus calicem cum omni apparatu ad altare portat et more solito ante Episcopum disponit. Si particulæ sint consecrandæ, illas vel in ciborio, vel in alia patena, vel super corporali ad sinistram magnæ hostiæ ponat.

11. Deinde capellanus vinum et aquam affert: aquam porrigens benedicendam dicit: *Benedicite Reverendissime Pater.*

12. Mox ministrat aquam ad lavandas manus, postquam annulum ab Episcopo acceperit, quem post lotionem cum osculo restituit.

13. Ad *Orate fratres* respondet. Dictis secretis missale removetur, et canon in ejus locum ponitur, quo Episcopus utitur usque ad Communionem.

14. Ad *Sanctus* duo intorticia vel in abaco accenduntur, vel a pueris ministrantibus tenentur, donec Episcopus pretiosum Sanguinem sumpserit.

15. Ad verba *Qui pridie* capellanus geniculat in suppedaneo ad dextram Episcopi, ad ejus genuflexiones planetam paullulum attollit et caput inclinat; calicem ad consecrationem detegit et postea cooperit.

16. Post elevationem capellanus surgit et ad sinistram Episcopi se sistit, facta genuflexione.—Ad verba *Per quem hæc omnia* genuflectit et ad dextram Episcopi vadit ibique iterum genuflectit, deinde post verba *præstas nobis* calicem discooperit et cum Episcopo genuflectit. Calice cooperto et iterata genuflexione ad sinistram Episcopi redit.

17. In fine *Pater noster* genuflectit et dexteram Episcopi petit, ubi post alteram genuflexionem patenam detergit et Episcopo tradit cum consuetis osculis, calicem detegit et cooperit.

18. Ad *Agnus Dei* se inclinans pectus percutit, item ad *Domine non sum dignus.*

19. Si communio sit distribuenda, capellanus, induit stolam et calice cooperto, aperit tabernaculum, genuflectit cum Episcopo, ciborium profert et discooperit, et iterata genuflexione ad cornu Epistolæ se recipit ibique profunde inclinatus recitat *Confiteor* in supremo gradu, accipit patenam, quam submittit mento communicandorum. Ad altare reversus, ciborium coopertum in tabernaculo reponit, et facta genuflexione tabernaculum claudit stolamque exuit.

20. Ad ablutionem capellanus ministrat vinum et

aquam. Mox canonem in medium altaris et missale in loco suo reponit.

21. Sumpta ablutione Episcopus manus lavat in cornu Epistolæ capellano ministrante.

22. Deinde capellanus calicem de more coopertum et ordinatum ad abacum portat, et ad missale redit, ut Episcopo assistat, more solito.

23. Ad benedictionem Episcopi in supremo gradu genuflectit et cruce se signat.

24. Ad ultimum Evangelium ad sinistram Episcopi se sistens respondet. Quodsi ultimum Evangelium proprium legendum sit, dicto *Deo gratias* post *Ite Missa est*, missale transfert ad latus Evangelii.

25. Ultimo Evangelio dicto, capellanus cum Episcopo ad planum descendit eumque in exuendis sacris vestibus adjuvat. Quibus depositis, aquam etc. affert ad lavandas manus, et mox allato canone (vel missali) Episcopo adest a dextris ad gratiarum actionis preces recitandas, tenens scotulam.

26. Si puer haberi potest superpelliceo indutus, qui Missæ Episcopi inserviat, ipsius est: tenere scotulam cum candela ardente prope librum, ministrare aquam ad lavandas manus Episcopi, afferre ampullas vini et aquæ, pulsare campanulam ad *Sanctus*, elevationem et *Domine non sum dignus*. Genuflectit ad confessionem, elevationem, dum populo communio distribuitur, et ad benedictionem Episcopi.

27. Sin vero nemo est qui capellani munere fungatur, sacerdos curet, ut duo saltem pueri maturæ ætatis adsint superpelliceis induti, qui, in quantum licet, capellanorum loco inserviant, ea omittentes quæ soli capellano in sacris constituto competunt. Conf. S. R. C. 4181, VII.

De Missa privata coram Episcopo in sua dioecesi.(1)

354.—Observanda sunt sequentia:

1. Genuflexorium præparatur pro Episcopo, ut in præcedente n. 353, 3 dictum est.

2. Postquam celebrans capite tecto ad medium altaris ante ultimum gradum pervenerit, caput detegit, inclinationem versus crucem facit, vel genuflectit, si S. Sacramentum ibi est: tunc profundam inclinationem versus Prælatum exhibet, et discedit ad cornu Evangelii, in eodem plano ante infimum gradum sistens; ubi signo accepto, iterum se versus Prælatum inclinat, et aliquantulum ad altare conversus (ministro a parte Epistolæ genuflexo), Missam incipit.—Hoc intelligendum, quando Episcopus in facie altaris Missam audit, non vero, quando a latere assistit, quo in casu sacerdos Missam in medio incipere potest, quia tunc terga non vertit, et commode illi debitas inclinationes facere potest.

3. Ad *Confiteor* non dicit *vobis fratres* et *vos fratres*, sed tantum *tibi pater* et *te pater*. Dicto *Oremus* antequam altare ascendat, iterum Prælato profunde inclinat.

4. Lecto Evangelio non osculatur missale, nec dicit *Per evangelica dicta*, sed minister missale Prælato osculandum transferre debet, nullam reverentiam illi faciens. Prælatus autem osculatus librum dicit *Per evangelica dicta*. Minister tum claudit librum, genuflectit versus Prælatum, et Missale ad celebrantem reportat, qui abstineat ab eo osculando.

5. Episcopus aquam ad offertorium non benedicit.

---

(1) Idem servandum est coram Archiepiscopo in sua provincia et coram Abbate benedicto in suo monasterio.

6. Ubi mos est, finita prima oratione (*Dne Jesu Christe*) ante Communionem celebrans manibus super altare positis, osculatur altare in medio et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est in cornu Epistolæ genuflexo et dicit: *Pax tecum*; minister respondet: *Et cum spiritu tuo.* Minister autem defert idem instrumentum velo serico coloris missæ contectum Prælato osculandum sine ulla inclinatione dicens: *Pax tecum*, qui respondet: *Et cum spiritu tuo;* quo osculato facit minister reverentiam et celebrans prosequitur orationes.

7. In fine Missæ celebrans, postquam dixit *Benedicat vos omnipotens Deus*, facit profundam inclinationem versus Prælatum et benedicit circumstantes a parte Evangelii semper advertens, ut ex ea parte benedicat, ubi non est Prælatus.(1) Finito ultimo Evangelio, celebrans in eodem cornu stans, se vertit ad Prælatum eique facit profundam inclinationem, nec discedat antequam Prælatus discesserit; quodsi Prælatus nondum discedat, ei in transitu caput inclinat.

355.—NOTANDA.

Si coram Prælato in ecclesia publica, quæ non est suæ jurisdictionis, celebretur Missa, sacerdos ante Prælatum transiens ipsi mediocrem inclinationem, capite cooperto exhibeat; si calicem non portat, caput detegat et profundam inclinationem ei faciat. Finita Missa recedens ab altari item inclinationem faciat.

(1) Si Prælatus extra territorium suæ jurisdictionis est, celebrans benedicit more solito, si in ecclesia publica; in oratoriis privatis enim Prælato eædem cæremoniæ exhibentur, ac si esset in sua diœcesi.

"Benedictio in Missa solemni, etiam exposito Ss. Sacramento, non a Celebrante, sed ab Episcopo in Throno eidem Missæ, cappa vel pluviali induto, assistente danda est." S. R. C. 3618 ad I.

Non decet quod Episcopus cappa vel pluviali indutus assistens sacris functionibus, in quibus a Sacerdate celebrante benedictio datur cum Ss. Eucharistiæ Sacramento, his expletis episcopalem benedictionem populo impertiatur. S. R. C. 3618 ad II.

De Missa in Ecclesia aliena.

356.—1. "Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes, vel ad Oratorium publicum Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, *omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiæ vel Oratorii conformes*, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen pecularibus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium *ritus duplici inferioris* agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent. S. R. C. 3862.

2. *Regulares comprehenduntur* sub Decreto 3862 nulla habita ratione cujuscunque privilegii. S. R. C. 3883.

357.—In casu quo ritus alienæ Ecclesiæ Missa votivas permittit, sacerdos, si velit Missam suo

officio conformem celebrare, proprii directorii normam omnino sequi debet, celebrando scil. Missam more *festivo*, non votivo. S. R. C. n. 3892 ad V; 4020.

358.—Capella *principalis* tantum Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, Piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum ad effectum Decreti 3862 instar *publici* Oratorii habenda est. S. R. C. n. 3910.

359.—In hisce Oratoriis, specialiter in Domibus Monialium vel aliarum piarum Communitatum competenti auctoritate erectis, nisi habeant Calendarium proprium, Calendarium loci. i. e. Diœcesis, quoad Missam sequendum est, etiam a sacerdotibus regularibus, qui proprio Calendario gaudent, juxta Decreta S. R. C. 3919, 17 cf. 3927 ad 1 et 2; etiam in casu quo tales sacerdotes regulares curam spiritualem Monialium et aliarum inquilinarum monasterii habeant, ut patet ex decreto 4248, ad III. Conf. *Ephem. Lit* vol. 24, p. 264-266.

360.—In Oratoriis *mere privatis* Missa semper conformis erit Celebrantis officio. Idem dicendum est de Oratorio non principali alicujus Communitatis Religiosæ.

361.—Observanda.

1. In Oratoriis Monialium, quæ Officium magnum juxta Calendarium proprium sui Ordinis (e. g. Carmelitæ) recitare tenentur, Sacerdotes Missam celebrantes idem Calendarium sequi debent. S. R. C. 3972 ad 4.

2. In ecclesiis alicui Familiæ Religiosæ in perpetuum vel indefinitum tempus concreditis in Missis

Calendarium talium Religiosorum semper adhibeatur, etiam a sacerdotibus exteris, qui Missam ibi celebrant. S. R. C. Secovien, 52 Apr. 1911; n. 4051, 2.

3. In casu quo Seminarii alicujus Moderatores et Directores pertinent ad Congregationem religiosam, proprium Calendarium habentem, sacerdotes ibi celebrantes idem Calendarium sequi debent, nisi sint Presbyteri beneficiati. S. R. C. 4194, 8.

4. Sacerdos qui *Indulto personali* gaudet recitandi Officium juxta Calendarium Urbis, quoad Missam sequi debet Calendarium Ecclesiæ, cui adscriptus est, nisi secus permittat ritus officii Ecclesiæ.

De Binatione.

362. — Juxta Instructionem S. Congreg. de Prop. fide 24 Maji 1870 sequentia notanda sunt.

1. Extra casum necessitatis non licet ulli sacerdoti eadem die bis celebrare Missam; neque consuetudo, neque paupertas sacerdotum titulus esse potest binandi: neque licet duas Missas celebrari eadem die per eundem sacerdotem, quamdiu alius haberi potest sacerdos, per quem necessitati populi satisfiat.— Juxta unanimem Theologorum consensum permittitur binare Missam sacerdoti *qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti adesse per dies festos nullo modo possit ob locorum maximam distantiam*, vel *quando una tantum sit Ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest.* In hisce casibus Missa iterari potest etiam ab iis, qui non muniti exsistant facultate formularum, quæ a Cong. Prop. concedi solent, quia permittitur a jure communi.

2. In casibus autem quæ eveniunt in Missionibus et propter quas datur Superioribus ipsarum facultas, S. Cong. Prop., quum pro singulis casibus ob varias circumstantias generalis regula dari nequeat, generatim *caritati et conscientiæ* Superiorum decisionem relinquit, quoad numerum fidelium, vel distantiam locorum, quæ necessario requiruntur, ut licite binari valeat Ss. Sacrificium. *Practice* hac in re parum difficultatis est, sin autem difficultatis quidquam occurrat, vel Ordinarius, vel auctores probati consulendi sunt. Wapelhorst optime hanc materiam discutit n. 37 et 38.

363.—Modus purificandi calicem in Binatione.

1. Quando sacerdos eadem die duas Missas *dissitis in locis* celebrare debet, in prima, dum sumit divinum Sanguinem, eum diligentissime sorbeat. Deinde super corporali ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus*, et subinde in aquæ vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Postea calicem, super corporali manentem adhuc, cooperiat purificatorio, patena, palla, velo,—et prosequatur Missam. Completo ultimo evangelio rursus stet in medio Altaris, et detecto calice inspiciat an aliquid divini Sanguinis ad imum se receperit. Si gutta quædam supersit, ea diligenter sorbeatur, et quidem ex parte, qua ille primum sumptus est. Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerit, eamque circumactam, ex eadem parte qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari recedat.

Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa, pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat, Missam habiturus) et in secunda purificatione in calicem demittatur; vel gossipio aut stuppa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.(1) Cum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipse pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero, in altera Missa diverso calice uti poterit. S. R. C. 3068.

2. Quando sacerdos duas Missas in eadem ecclesia celebrare debet, regulæ servandæ sunt ut in prima et ultima Missa in Nativitate, ut n. 534 exponitur.

3. Quod attinet ad tres Missas in festo Nativitatis Domini celebrandas, vide n. 534.

364.—Qui facultatem habet binandi, non potest absque speciali indulto Apostolicæ Sedis pro secunda Missa stipendium accipere. Idem valet quando Parochus Missam *pro populo* applicaverit.

Licite tamen secunda Missa applicatur pro defuncto Confratre a sodalibus Societatis Sacerdotum tale onus suscipientibus. S. R. C. 14 Sept. 1878 et 5 Mart. 1887.—Ex consuetudine in die Nativitatis. Dni licitum est tria stipendia pro tribus Missis sumere. Vide Putzer, *Comment.* n. 160, IV. nota etc.

---

(1) Aqua hæc etiam in vas dimissa sumi potest ab alio jejuno, qui est in statu gratiæ, prout fit in communione infirmorum. *Irish Record*, 1892, p. 361. Vide Putzer *Comment. In Facul. Apost.* pag. 273.

DE CULTU SS. EUCHARISTIAE.

De Loco asservandae Ss. Eucharistiae.

NOTITIÆ DIVERSÆ.

365.—Ss. Eucharistiæ Sacramentum in uno cujuscunque ecclesiæ loco tantum *continuo* asservari potest. S. R. C. 1946, 3.—3104, XIII. Conf. n. 375.

366.—In Ecclesiis seu Oratoriis filialibus, ubi Missa celebratur tantummodo Dominicis, januis cetero tempore clausis manentibus, Ss. Eucharistiæ Sacramentum asservari non licet, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus Ss. Eucharistiam visitare cupientibus. S. R. C. 3739, 1.

367.—In Oratoriis Religiosorum privatis asservari potest Ss. Eucharistiæ Sacramentum, quamvis in adnexa Ecclesia idem Ss. Sacramentum tabernaculo jugiter custodiatur. S. R. C. 3662 ad II. In Oratoriis privatis, ubi Ss. Sacramentum asservatur, ad minus bis (ex indulto Apostolico, si obtineatur, *semel* saltem) in hebdomada Ss. Sacrificium celebrari debet. S. R. C. 3706, 2.

368.—Sequens consuetudo quarumdam monialium S. R. C. proposita est: Intra parietem qui medius est intra Chorum Sororum et Sanctuarium cellula est præparata, ubi Ss. Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente, Sorores ostiolum cellulæ in choro suo aspiciens aperiunt: dum clausum remanet Ss. Sacramentum solido vitro. Resp. "Piam consuetudinem tolerari posse." S. R. C. 3648, 1,—Ad talem consuetudinem introducendam recurrendum est ad Sanctam Sedem, quum supradictum decretum privilegii generalis vim non induat. Cf. n. 5, *observ.*

De Expositione Ss. Sacramenti.

NOTITIÆ GENERALES.

369.—Throno, in quo Ss. Sacramentum exponitur, candelabra affigi possunt pro Expositione accendenda. S. R. C. 3780 ad 4.

370.—Extra Devotionem 40 Horarum, ad Expositionem Ss. Sacramenti cum ostensorio, duodecim vel saltem decem candelæ ex cera candida ad altare expositionis ardere debent. S. R. C. 3480. Wapelh.

371.—Crux Altaris tempore Expositionis Ss. Sacramenti juxta consuetudinem respectivæ Ecclesiæ collocari vel amoveri potest. S. R. C. 2365 ad 1. Conf. n. 53.

372.—Sola Imago, quæ in Altari exstat in quo fit expositio, tegenda est tempore Expositionis perpetuæ vel 40 Horarum. S. R. C. 3241 ad 4.

373.—Lampas, quæ coram Ss. Sacramento semper collucere debet, quocunque modo sustentari potest. S. R. C. 3576 ad 4.

374.—In altari Expositionis tantum prohibentur Reliquiæ Sanctorum, nec licet ex aliis altaribus ubi exponi possunt, eas osculandas præbere fidelibus durante Ss. Sacramenti Expositione. S. R. C. 17 Jul. 1909.—Pariter tabellæ Secretarum ab altari removendæ sunt, excepto tempore Missæ. S. R. C. 3130 ad 3.

375.—Non prohibetur, quominus Ss. Sacramentum ab Altari in quo asservatur, ad aliud Altare defera-

tur, ubi publicæ Adorationi exponatur; attamen transferendum est non in ostensorio, sed in capsula, aut in sphæra velo humerali cooperta. S.R.C. 3293; 3576 ad 12.—Licet quoque occasione alicujus Festi Ss. Eucharistiam ad altare laterale transferre, indeque S. Communionem distribuere, dummodo Ss. Eucharistia non *continuo* in duobus Altaribus asservetur. S. R. C. 3576. ad 6.

376.—Si coram Ss. Sacramento solemniter super altari exposito concio habeatur, apponendum est velamen ante Ss. Eucharistiam. S. R. C. 3728, 2.

377.—Consuetudo quod Clerus et populus sedeant, dum Ss. Sacramentum in Altari expositum manet, non prohibitum est, secluso scandalo et irreverentia. S. R. C. 3408 ad 3; 3432 ad 3.

378.—Chorus, dum recitat Horas canonicas ante Ss. Sacramentum velo coopertum in altari expositum, sedere potest, sed laudabilius est, ut sedeat capite detecto. S. R. C. 2552. 1.

379.—Exposito Ss. Sacramento non licet recitari vel cantari in choro Officium pro Defunctis (S. R. C. 3479 ad 2.), neque cantare *Requiem æternam* post psalmum *Miserere,* ubi Expositio fit pro Defunctis. S. R. C. 3616. Idem certo valet quoad Ps. *De profundis.*

Non licet addere Orationem pro Defunctis post Orationem Ss. Sacramenti in Ejusdem expositione, peractis precibus ad levamen defunctorum. S. R. C. 4058 ad I

De Benedictione Ss. Sacramenti.

Observationes generales.

380.—In qualibet Ss. Eucharistiæ Sacramenti publica expositione, antequam in tabernaculo idem reponatur, benedictio fidelibus cum eodem Ss. Sacramento impertiri debet, ita ut eam omittere non liceat. S. R. C. 3713.

381.—Non licet Ss. Eucharistiam in ostensorio exponere absque incensatione. S. R. C. 3580 ad 6.

382.—Paramenta Officiatoris et Ministrorum sint albi coloris. Si vero Benedictio vel processio Ss. Sacramenti immediate cum Missa vel Officio conjungatur, ita ut Celebrans ab Altari non recedat, et Benedictio (etiamsi interponatur cantus Litaniarum) non habeatur tamquam functio omnino separata et distincta, retinetur idem color, modo niger non sit.

Velum semper album esse debet. S. R. C. 2562 et 3175, 3; 3949 ad 7.

Post Missam deponitur manipulus et casula (convenienter ad scamnum), et assumitur pluviale coloris Missæ; Ministri, si adsunt, pariter deponunt manipulos. S. R. C. 3764, 8; 4048 ad 5.

383.—Altaris antipendium et conopæum tabernaculi debent esse albi coloris, sed quando Expositio fit immediate ante vel post Missam seu Officium, si facile mutari non possunt, licet retineri paramenta altaris coloris Officio diei convenientis. S. R. C. 3559. Conf. n. 76 et 112.

384.—Corporale proprium ad Expositionem tantum sit destinatum. Cf. Wapel. n. 218.

385.—"Licet sumere Amictum et Stolam, si ante Vesperas fiat Expositio Ss. Sacramenti, et benedictio immediate illas sequatur." S. R. C. 3593, 2.

386.—Si quando post Missam de Requie Benedictio Ss. Sacramenti fieri debeat, sacerdos ad sacristiam secedat ibique pluviale cum stola albi coloris sine manipulo induat, interimque flores in altari ponantur, conopæum et antipendium mutetur, et Expositio fit tamquam functio independens. Nunquam enim licet immediate post Missam de Requie Ss. Sacramentum exponere ad benedictionem impertiendam. S. R. C. 3949 ad 8.

387.—In una eademque die atque in eadem Ecclesia, *de licentia Episcopi,* licet pluries cum Ss. Sacramento benedici populo. S. R. C. 3438 ad V.

Ritus Benedictionis.

388. — Quando fit absque Ministris sacris. Sacerdos indutus superpelliceo, stola et pluviali accedit ad Altare, præcedentibus thuriferario, et duobus saltem acolythis intorticia portantibus.

Ostensorium debet operiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem Ss. Sacramenti. S. R. C. 4268, VII.

Stola Presbyteria exponentis Ss. Sacramentum, quando Benedictio Ejusdem sequitur immediate post Vesperas solemnes, quin Celebrans cum Pluvialistis recedat ab Altari, debet esse ejusdem coloris ac paramenta Celebrantis. *Ibid.* n. VIII.

N. B.—In accessu ad altare, ubi Ss. Sacramentum expositum est, et in recessu ab eodem, flectendum

est utrumque genu. flectionique addenda est mediocris capitis inclinatio, id est modica humerorum inclinatio. S. R. C. 4179 ad I.

389.—Capite detecto Sacerdos genuflectit in plano, dein in infimo gradu genibus flexis orat paullulum, tum ascendit et, præparato corporali super Altari, tabernaculum aperit, genuflectit, extrahit pyxidem vel capsulam in qua s. Hostia servatur, claudit tabernaculum, et, s. Hostia in ostensorio collocata, genuflectit. Deinde ostensorium in throno collocat, et postquam descendit in suppedaneum, iterum genuflectit.

Ceteri qui genuflexi adsunt nullam aliam reverentiam exhibent. S. R. C. 4179 ad 2.

Si ostensorium cum s. Hostia in tabernaculo asservetur, aperto tabernaculo genuflectit, extrahit ostensorium et illico in throno collocat.

N. B.—Quodsi vel scabello vel brevi scala opus sit, Celebrans, postquam Ss. Sacramentum in ostensorio posuit, genuflectit, scalam cum ostensorio ascendit illudque in throno collocat, descendit, et in suppedaneo genuflectit antequam ad planum descendat.

Interim de more cantatur *O salutaris Hostia*, vel alius hymnus in honorem Ss. Sacramenti.

Exposito Ss. Sacramento, Sacerdos lateraliter (a cornu Evangelii) descendit, genuflexus in imo gradu Altaris, facta mediocri inclinatione, surgit et stans ter incensum ponit sine benedictione, et mox iterum genuflexus triplici ductu Ss. Sacramentum incensat, inclinatione facta ante et post incensationem.

390.—Dum preces dicuntur ad Benedictionem, coram exposito Ss. Sacramento, Celebrans et Ministri manent genuflexi, excepto sub *Te Deum*, juxta S. R. C. 3965, 2. Pari modo stare debent, dum ante *Tan-*

tum ergo cantantur cantica *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*, Antiph. *Regina cœli* temp. pasch. et alii hymni, iis strophis exceptis, quæ genuflexionem exigunt. S. R. C. 4224 cf. *Ephem. Lit.* XXII. pag. 707.

391.—Sacerdoti celebranti licet coram Ss. Sacramento publice exposito preces recitare lingua vernacula. S. R. C. 3537 ad 2.

392.—Chorus Musicorum (id est Cantores) coram Ss. Sacramento solemniter exposito licite decantare possunt hymnos in lingua vernacula, dummodo non agatur de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscunque liturgicis precibus, quæ nonnisi lingua latina decantari debent. S. R. C. ibid. ad 3.

393.—Ante Benedictionem a choro cantari debet *Tantum ergo*. Ad *Veneremur cernui* omnes profunde inclinant caput.

Ad *Genitori*, Sacerdos iterum incensat more supra dicto. Deinde

℣ *Panem de cœlo* etc. vel a cantoribus, vel a Celebrante genuflexo cantari potest. ℟ *Omne delectamentum* etc. cantato, solus Celebrans surgit ad Orationem *Deus qui nobis* cantandam, quin ullam faciat reverentiam. S. R. C. s513. Cf. 3058 ad 3. et 2725 ad 3.

Neque sacerdos expositor antequam surgat, ascensurus ad Altare ad deponendum Ss. Sacramentum e throno, neque Celebrans antequam surgat ad Altare ut populo benedicat, ullam faciat reverentiam. S. R. C. 4179 ad 3.

394.—Notanda quoad Orationes.

Orationes coram Ss Sacramento extra Missam et Horas Canonicas "cantandæ sunt recto tono, cum

una vocis inflexione in fine cujusque Orationis, et cum brevi conclusione. S. R. C. 3638 ad IV.

395.—Ad quæstionem: An in functione Benedictionis Ss. Sacramenti, præter Orationem de Eodem alia cantari possit? S. R. C. respondit (n. 4194 ad X): "Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo*, si tunc aliæ dictæ sint Preces; secus, NEGATIVE, nisi aliter Apostolica Auctoritate statutum fuerit.(1)

396.—Finita Oratione Celebrans genuflectit et accepto velo humerali a primo clerico, quin caput inclinet, ascendit suppedaneum, flectit unicum genu, manibus super Altare positis, sine capitis inclinatione, ostensorium de throno super Altare in medio corporali ponit. S. R. C. 4179, 3.

Iterum genuflectit, inversumque ostensorium sumit manibus velo coopertis, dextra ad nodum sinistra ad pedum, et per suam dextram vertens se ad populum, cum illo signum Crucis super populum faciet, nihil dicens, hoc modo: Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora usque ad oculos et eodem modo illud dimittit infra pectus: moxque iterum linea recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, quin pedes moveat et reducit ad dextrum, et tunc vel potest statim per cornu Evangelii se ad Altare convertere, perficiens circulum; vel potest ostensorium a dextro rursus reducere ante pectus ibique aliquantulum sistere, tunc gyrum perficiens super Altare collocare. Cf. S. R. C. 1563, 2. et Cær. Ep. 1. 2, cap. 33, n. 27. Benedictio dari debet sub silentio chori, ita ut interea nihil cantetur. S. R. C. 3058, 2.

---

(1) Prius decretum mutatum est a S. R. C.

Ostensorio deposito Celebrans unum genu flectit, et velum humerale detrahitur.

N. B.—Non præscribitur, sed servari potest consuetudo, ut thuriferarius Ss. Sacramentum incenset, dum a Sacerdote benedictio impertitur. S. R. C. 3108, 6.

397.—Ubi consuetudo introducta est, post impertitam populo Benedictionem, recitandi "Laudes sanctorum Nominum," sacerdos sive ad supremum, sive ad infimum gradum descendit, genu flectit et, omissa omni reverentia, prædictas Laudes lingua vernacula recitat, quæ singulæ a populo repetuntur. S. R. C. 4179 ad 4.

398.—Tunc statim ostensorium in tabernaculo reponit—vel lunulam cum s. Hostia in capsula ponit, quam clausam in tabernaculo reponit, genuflectit, clauditque tabernaculum. — Interim Ps. *Laudate Dominum* vel hymnus aliudve conveniens cantari potest.

NOTANDA quoad BENEDICTIONEM SOLEMNEM, quæ fit cum Ministris sacris.

399.—Ad impertiendam benedictionem cum Ss. Sacramento Celebrans aut ipse accipiat ostensorium super Altari positum, juxta Cæremoniale Episc. Lib. II. c. 33, § 27; aut Diaconus ostensorium Celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante. S. R. C. 3975, 4.

400.—Post Missam solemnem coram Ss. Sacramento exposito celebratam, si statim benedictio Ss. Sacramenti danda est, Celebrans et Ministri ad

scamnum recedentes, in plano utroque genu flectere debent, juxta praxim Ecclesiarum Urbis. S. R. C. 4048 ad 5.

401.—Episcopo, quoties populum cum Ss. Sacramento ipse solemniter benedicturus est, Diaconus, non Presbyter assistens, porrigat ostensorium. S. R. C. 3576 ad VIII.

402.—Quotiescunque solemnis benedictio cum Ss. Sacramento fidelibus impertitur, sacri Ministri induant Dalmaticam et Tunicellam, et sacerdos celebrans Albam deferat sub Pluviali. S. R. C. 3799.

403.—Juxta Cærem. Episc. (l. 2, c. 33, n. 27.), dum Celebrans canit Orationem *Deus qui nobis* etc. ministri librum sustineant genuflexi.

☞ *De aliis Cæremoniis quæ servandæ sunt quoad Benedictionem solemnem, quando cum Ministris sacris fit, opera majora consulenda sunt.*

Privata Expositio Ss. Sacramenti.

404.—Regulæ servandæ.

1. Tabernaculum aperitur, ita ut pyxis cum Ss. Sacramento velo cooperta ostendatur, quin e tabernaculo extrahatur. S. R. C. 3394 ad 1.

2. Talis Expositio ob aliquam individuam vel communem necessit tem, absque Ordinarii licentia fieri potest.

3. Sex saltem cerei ardeant in altari. Celebrans induit superpelliceum et stolam. Thurificatio fieri decet, sed non præscribitur. S. R. C. 2957.

4. Recitari possunt Litaniæ vel aliæ preces approbatæ.

5. Ultimo recitatur vel cantatur *Tantum ergo* et rursus Ss. Sacramentur incensari potest. Deinde recitatur vel cantatur ℣ *Panem de cœlo* etc. cum Oratione *Deus qui nobis.* Tunc ostiolum tabernaculi clauditur. Cf. Wapelh. n. 228.

6. Post expositionem privatam Ss. Sacramenti, dari potest benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito. S. R. C. n. 3875 ad III.

405.—Expositio Ss. Sacramenti privata, quæ fit cum pyxide, si sit permanens, et ex causa publica impedit Missas de Requie juxta Decr. 2390 ad 4. 4096, 8.

406.—In Expositione privata, quando populus benedicitur cum Ss. Eucharistiæ Sacramento Pyxide clauso, ipsa Pyxis extremitatibus veli cooperienda est. S. R. C. 2786; 3780. 1; 3875, 3; 3888.

407.—Non licet Sacerdoti pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire pro adorando Sacramento precibus ad libitum fundendis ac postea illud claudere. S. R. C. 3832, 2.

De Devotione XL Horarum.

408.—Observationes generales.

1. Devotio hæc in omnibus diœcesibus Statuum Fœderatorum Americæ Septentrionalis juxta Rescripta Apostolica, 10 Dec. 1857, et 24 Jan. 1868, hisce Indultis gaudet:

a. ut Expositio horis nocturnis intermitti possit;

b. ut Processio, ad prudens arbitrium Pastoris omittatur;

c. ut Fideles omnibus Indulgentiis fruantur, quæ Constitutione Clementis VIII *Graves et diuturnæ* conceduntur.

409.—INDULGENTIÆ concessæ sunt:

a. Plenaria omnibus, qui digne Sacramentis receptis, semel saltem ecclesiam, ubi fit Expositio, visitaverint, ibique ad intentionem Summi Pontificis devote oraverint.

b. Indulgentiæ *decem* annorum et totidem quadrag. *toties quoties* ecclesia Expositionis visitatur, ibique preces vere contrito animo funduntur.

c. Omnes istæ Indulgentiæ animabus in purgatorio detentis applicari possunt.

d. Tempore Expositionis omnia altaria talis ecclesiæ *privilegiata* declarantur.

410.—NOTANDA.

1. Confessio fieri potest intra octiduum ante Expositionem vel ipso tempore Expositionis. S. R. C. Off. 23 Apr. 1914.

2. Confessio et Communio fieri possunt in alia ecclesia, dummodo visitatio fiat in ipsa ecclesia Expositionis.

3. Si Communio recipiatur tempore et in ecclesia Expositionis, hæc visitatio valet pro una visitatione præscripta.

4. Visitatio debet fieri ipso tempore Expositionis.

5. Visitatio non necessario ad horam protrahi debet.

6. Pro infirmis, qui ecclesiam visitare non valent, confessarius aliud opus substituere potest. Idem valet quoque pro infirmis et senio confectis in Communitate aliqua Religiosa viventibus. S. C. Ind. et Rel. 18 Sept. 1862 et 17 Jan. 1886.

RES GENERATIM SERVANDÆ.

411.—In hac celebratione sequendus est Ordo ab Ordinario præscriptus vel a Sede Apostolica indultus.

412.—Viginti saltem cerei continuo ardeant.—Antipendium Altaris semper debet esse albi coloris.—Reliquiaria et statuæ Sanctorum in Altari non ponantur, ("non exclusis tamen Angelorum statuis quæ candelabrorum vices gerunt" Inst. Clement. 4.)—Idem dicendum videtur de statuis Angelorum adorantium, etsi decreta S. R. C. non expresse de illis loquantur.

413.—In altari Expositionis, extra casum necessitatis, præter Missam Expositionis et Repositionis, non licet alias Missas sive privatas, sive cantatas, celebrare. Cf. infra 419.

414.—Si tempore Expositionis 40 Horarum, i. e. postquam Ss. Sacramentum jam est expositum, occurrat festum Purificationis, vel feria IV Cinerum, vel Dominica Palmarum, vel benedictio fontis in Vigilia Pentecostes, istæ functiones fiant in alio altari ab Expositionis altari remoto, si ampla sit ecclesia, sed omittatur processio: si ecclesia sit exigua, etiam prædictæ benedictiones omittantur. Martinucci *Man. Cærem.* II. Cap. 38. n. 111. et 112.—Si Missa parochialis in Dominica celebretur ad Altare Expositionis, *Aspersio* aquæ benedictæ fieri debet, sed omittitur sola Aspersio Altaris. Cf. n. 523.

415.—Tempore et in ecclesia Expositionis non licet celebrare Missas *de Requie.* Quodsi devotio XL Horarum occurrat in commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum (2 Nov.), missæ de *Requie* in colore violaceo dicendæ sunt, ut infra, n. 433, dicitur.

416.—Licet adhibere publicam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum coram Ss. Sacramento exposito, dummodo agatur de precibus approbatis. S. R. C. 3157, 8. Licet ut cantores coram Ss. Sacramento solemniter exposito et in sacris mere extra-liturgicis decantent hymnos approbatos in lingua vernacula, dummodo non agatur de hymno *Te Deum* et aliis quibuscunque liturgicis precibus, quæ nonnisi latina decantari debent, neç licet ista cantare infra ipsam Benedictionem post *Tantum ergo* inchoatum. — Usus linguæ vernaculæ prohibetur *intra sacram liturgiam* seu *functiones liturgicas.* S. R. C. 3537. Cf. n. 326.

417.—Quoad concionem vel exhortationem, quæ tempore Expositionis 40 Horarum aliquando fieri solet, sequenda sunt statuta diœcesana.

418.—Juxta Instr. Clem. § XVI. in Missis privatis, quæ celebrantur durante Expositione, campanula ad elevationem non pulsetur. Sed decretis S. R. C. 3157, 10: et 3442, 2. pulsatio prohibetur generatim in Missis, tum ad altare Expositionis, tum ad alia altaria celebratis. Cf. n. 128. Licet tamen juxta Cærem. Episc., in egressu Celebrantis e sacristia tenue signum dare cum solita campanula.

419.—Extra casum necessitatis non celebretur in Altari expositionis alia Missa præter solemnem in expositione et repositione, neque distribuatur fidelibus Communio (extra casum necessitatis vel legitimæ consuetudinis contrariæ) de Altari expositionis, sed, si fieri potest, sacra pyxis in alio Altari deponatur, unde Communio distribuatur. Juxta Instr. Clem. et S. R. C. 3574, 5; 3864, 4; 3448 1; 3482.

420.—In adoratione Ss. Sacramenti Sacerdotes stolam adhibere possunt. S. R. C. 2709, 2.

421.—Omnes Missæ, præter Missas pro Expositione, Repositione et *pro Pace*, celebrandæ sunt de festo vel officio currente, nisi rubricæ permittant Missas votivas. In hoc casu decet, ut Missa votiva dicatur de Ss. Eucharistiæ Sacramento juxta rubricas, i. e. sine *Gloria*, cum tribus Orationibus (2 de offic. occur., 3 quæ 2 loco in Ordine not.), sine Sequentia ac sine *Credo*, Præf. *de Nativitate*, *Benedicamus Dno*, et ult. Evang. S. Joan.—Conf. n. 232-242.

De Missis **de Præcepto** celebrandis:

In Adoratione Quadraginta Horarum cum cantu celebrandæ sunt: prima die Missa *Expositionis*, secunda die Missa *pro Pace*, tertia die Missa *Repositionis*, in quibus Missis celebrandis servandæ sunt Regulæ sequentes:

422.—Pro Expositione et Repositione cantanda est Missa votiva solemnis de Ss. Sacramento (quæ invenitur inter Missas votivas), cum *Gloria*, *Credo*, unica Oratione, Præfatione de *Nativitate* et Evang. S. Joan. *In principio* in fine.

Diebus autem, quibus Missa votiva non permittitur cantanda est Missa de Officio occurrenti (ut infra dicitur) cum commemoratione Ss. Sacramen[ti] *sub unica conclusione.*

423.—Si ob aliquam causam Missa cum cantu celebrari nequit, Missa de currente die dicenda est, et post Orationes a Rubrica præscriptas addenda est Oratio Ss. Sacramenti, quæ tamen omitti debet in festis primæ et secundæ classis et diebus, quæ commemorationem non admittunt. — Quodsi Missæ

votivæ privatæ permittuntur, Missa Ss. Sacramenti legi poterit, sine *Gloria* et sine *Credo* cum Orationibus præscriptis. Vide n. 421.

424.—Die 14 Jan. 1858 S. Sedes pro Diœcesi Baltimorensi indulsit, "ut quibus in Ecclesiis hujus Diœcesis ex defectu Ministrorum Missa solemnis cani nequit diebus tam Expositionis et Repositionis, quam intermedio, celebrari possit Missa absque Ministris paratis, ita tamen, ut ab uno Sacerdote celebrante cantetur, vel si hoc fieri nequit ex defectu cantorum, saltem celebretur inservientibus duobus clericis superpelliceo indutis, ac collucentibus quattuor ad minus candelis in Altari."—Hoc privilegio tamen non fruuntur omnes Diœceses.

425.—In Missa votiva Ss. Sacramenti pro ejusdem Expositione et Repositione, omittenda est quælibet commemoratio et collecta. Infra octavam Ss. Corporis Christi, Missa erit de eadem Octava, cum Sequentia et unica Oratione, absque Commemorationibus et collectis.

426.—Missa de Ss. Sacramento *cantari nequit*:

a. In Dominicis privilegiatis primæ et secundæ classis.

b. In Festis primæ et secundæ classis,

c. Feria quarta Cinerum, et feriis secunda, tertia et quarta Hebdomadæ sanctæ. Triduo sacro prædicta Expositio cessare debet.

d. Infra Octavas Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ.

e. Vigiliis Nativitatis et Pentecostes.

Hisce diebus canenda est Missa diei currentis cum Oratione Ss. Sacramenti sub unica conclusione, omissis collectis et commemorationibus.

427.—Quandocunque Missa de Ss. Sacramento non permittitur, Præfatio dicenda est, quæ Missæ diei competit, *non* de Nativitate, nisi hæc ipsa Officio diei requiratur.

428.—Quod si festum aliquod primæ vel secundæ classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco, *sub distincta conclusione*, fit commemoratio Dominicæ et dicitur ejus Evangelium in fine Missæ. Aliæ commemorationes omittuntur.

429.—Si quando Missa Ss. Sacramenti impediatur Festo Domini ejusdem mysterii, sc. Passionis, Ss. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, Ss. Redemptoris, commemoratio Ss. Sacramenti omittenda est. Conf. n. 145, 2.—Juxta *Ephem. Lit.* 1888, p. 283 ea commemoratio etiam omittenda est in festo Nativitatis Domini.—Commem. Passionis omitti debet infra octavam Solem. Commem. Passionis, ubi ista octava indulta est.

430.—Die intermedia cantatur (in colore violaceo et tono solemni) Missa *pro Pace,* sine *Gloria* et, extra Dominicam, sine *Credo.* Die Dominica *Credo* dicitur.—Orationi Missæ additur commemoratio Ss. Sacramenti sub *unica* conclusione.—Præfatio communis (in Dominica autem de Trinitate), nisi Præfatio de tempore, aut de octava aliqua occurrente dicenda sit. Conf. 169, 173 et 226.

Missa *pro Pace* iisdem privilegiis gaudet, ac Missa Expositionis et Repositionis, iisque cum exceptionibus supra memoratis.

Si Missa *de Pace* impediatur, et Missa de festo vel officio occurrente dicenda est, *sola* commemoratio *pro Pace* addenda est orationi principali Missæ sub

unica conclusione et si festum primæ vel secundæ classis occurrat in Dominica, commemoratio Dominicæ fit sub *distincta conclusione*, cum ultimo Evangelio ejusdem.

Missa *pro Pacc* (casu necessitatis excepto) non celebranda est in Altari Expositionis, neque in Altari de quo sacra Communio fidelibus distribuitur. Conf. n. 419.

431.—Missa *pro Pace* suppleri potest per aliam Missam Votivam ex iis, quæ habentur in Missali, arbitrio Episcopi. S. R. C. 3049, q. 4. 2. Talis Missa gaudet iisdem privilegiis.—Ubi hæc Devotio ad quartum diem extenditur, eædem regulæ valent de Missa *Pro quacunque necessitate* ab Ordinario præscripta.

432.—Feria quarta Cinerum in una ex diebus Expositionis occurrente tonus ferialis in cantu Orationum, Præfationis et *Pater noster* est adhibendus, nec omittenda est Oratio super populum. Eadem regula servanda est tribus diebus prioribus Hebdomadæ sanctæ, si Expositio occurrat.

433.—Si in solemni Defunctorum Commemoratione (2 vel 3 Nov.) Expositio Ss. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de Eo non omittatur; sed reliquæ sint pro defunctis, quæ ad altare Expositionis non dicantur et omnino celebrandæ sunt in colore violaceo.

Quod attinet ad Missas, quæ celebrantur præter Missas Expositionis, Repositionis et *pro Pace* notanda sunt sequentia.

434.—*Commemoratio* Ss. Sacramenti(1) *fieri debet:*

a. IN MISSIS CANTATIS, quæ—præter Missam Expositionis et Repositionis ex aliqua necessitate—celebrantur ad altare Expositionis.

Hæc commemoratio fit sub *unica conclusione* in festis 1. vel 2. classis, Dominica Palmarum, in Vigilia Nativitatis Domini, (nisi hæc Vigilia incidat in Dominicam in quo casu commem. Ss. Sacramenti adjungenda est Orationi Dominicæ) et Pentecostes et in Missa votiva solemni.

Alias illa commemoratio fit sub *secunda* seu *distincta conclusione*, scil. *post* commemorationes rubricis præscriptas, sed *ante* imperatas.

b. IN MISSIS CANTATIS ad alia altaria, exceptis festis 1. et 2. classis, Dominica Palmarum et Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini.

c. IN MISSIS PRIVATIS sive ad altare Expositionis, sive ad alia altaria, exceptis diebus et festis 1. et 2. classis, Dom. Palm., Vig. Pentec. et Nativ. Dni.

435.—*Omittenda* est commemoratio Ss. Sacramenti

a. IN MISSIS CANTATIS, quæ celebrantur ad alia altaria in festis 1. vel 2. classis, in Dominica Palmarum, et Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Dni. (Idem valet pro Missa *pro Pace*, ut suo loco notatur.)

b. In MISSIS PRIVATIS, quæ sive ad altare Expositionis, sive ad alia altaria diebus et festis modo memoratis celebrantur.

c. Præterea commem. Ss. Sacr. semper omittenda est, tum in Missa cantata, tum in Missa lecta, in festis Dni *quæ versantur de eodem* Mysterio, scil. Ss. Cordis, Pret. Sanguinis, Ss. Redemptoris et Passionis.

(1) Cf. n. 144 et 145.

De Rubricis in Missa Expositionis et Repositionis servandis.

436.—In Missa Expositionis, quæ usque ad sumptionem Sanguinis ritu non differt ab aliis Missis solemnibus, altera Hostia consecrabitur pro solemni Expositione. Post sumptionem Ss. Sanguinis, Diaconus et Subdiaconus genuflectent et locum mutabunt, et genuflexionem iterabunt. Celebrans deinde adjuvante Diacono sacram Hostiam in Ostensorio ponet, illudque *absque velo* super corporali collocabit. Tunc usque ad finem Missæ omnia servanda sunt, uti in Missa coram Ss. Sacramento exposito.

437.—In Missa Repositionis quæ in altari Expositionis celebratur, servandæ sunt regulæ in Missa coram Ss. Sacramento exposito.

REGULÆ

ex opere P. Wapelhorst (n. 95) verbatim desumptæ.

438.—Officium Celebrantis. Ubi in conspectum Sanctissimi venerit, caput detegit, omittit reverentias ad chorum.

In accessu ad altare et in recessu ab ipso post Missam flectit utrumque genu in plano et profunde inclinat; infra Missam autem discedens aut veniens ad medium altare, semper unum genu flectit, sine capitis inclinatione.

2. Se convertens ad populum, ut cantet *Dominus vobiscum*, prius osculatur altare, dein genuflectit et se vertit ad latus Evangelii; reversus iterum genuflectit. Idem facit ad *Orate fratres*, quin circulum perficiat.

3. Incensum impositurus pro Introitu, pro Evangelio et ad Offertorium formulam usitatam recitat

illudque benedicit. [Ad Ss. Sacramentum *solum* incensandum omittitur benedictio incensi.] Impositurus incensum ad Introitum et Offertorium prius genuflectit, dein se retrahit versus cornu Evangelii; incensum pro Evangelio cantando imponit remanens in latere Evangelii. Crucem non incensat, sed Ss. Sacramentum, genuflexus in extremitate suppedanei, profunde inclinans ante et post. Ad Offertorium vero prius oblata thurificat. Incensatur a Diacono extra suppedaneum, in gradu secundo vel in plano, facie ad populum versa. Quod ipsum facit, quum manus lavat. Descendit ita, ut tergum non vertat versus Ss. Sacramentum.

4. Sessio in scamno fieri potest, modo consueto, sed capite aperto.

Ad *Benedicat vos*, etc. loco inclinationis genuflectit, et data benedictione nec circulum perficit nec genuflexionem iterat, sed statim convertitur ad latus Evangelii: non signat altare, nisi Ss. jam extra mensam in throno positum sit (juxta Martin.)

Ad *Verbum caro factum* genuflectit versus Ss. Sacramentum.

439.—Officium Diaconi et Subdiaconi. Observanda sunt, quæ de inclinationibus et genuflexionibus supra pro Celebrante statuta sunt.

Præterea sacri Ministri genuflectunt, priusquam ascendant altare post intonationem *Gloria*, *Credo* et ad *Sanctus*.

Omnes reverentias ad chorum, etc. omittunt; excipe Diaconum incensantem chorum; illa enim reverentia veluti invitatio ad incensationem existimanda est.

440.—Omittuntur oscula. Excipe Subdiaconum post Epistolam cantatam, et Diaconum, quando

petit benedictionem ante Evangelium, et quando Celebranti tradit patenam post *Pater noster.* Ad omnes incensationes genuflectunt simul cum Celebrante.

Diaconus cantat *Ite Missa est* se convertens ad populum eodem modo ac Celebrans.

441.—ORDO EXPOSITIONIS.

1. Celebrans, Ss. Sacramentum in processione delaturus, pluviali coloris missæ indutus erit. Velum autem humerale erit albi coloris in quocunque casu Ss. Sacramentum deferendum est (etiam VI. in Parasceve); aliorum ministrorum paramenta ejusdem coloris sint ac Celebrantis.

2. Dicto ultimo Evangelio Celebrans et Ministri genuflectent in suppedaneo et a latere descendent ad scamnum, ibique Celebrans (pariterque ministri) manipulum deponet, planetam exuet, et pluviale (coloris missæ) assumet; incensum ibidem in duobus thuribulis ponet illud non benedicendo, et postea cum Ministris ad altare procedet, et facta in plano genuflexione utroque genu, more solito ter Ss. Sacramentum adolebit. Reddito thuribulo, Magister Cæremoniarum Celebranti velum humerale imponet, qui deinde, cum Diacono et Subdiacono ad superiorem gradum altaris ascendet, ibique cum Subdiacono genuflectet, dum Diaconus, facta in suppedaneo genuflexione, Sacramentum assumet, illudque stans genuflexo dabit sacerdoti; statimque diacono genuflectente, Celebrans, manibus extremitate veli humeralis coopertis, illud assumet et surget. Incepto a cantoribus "*Pange lingua,*" etc., sub baldachino procedit cum Ministris, qui prius locum mutaverunt, pluvialis fimbrias sustinentibus.

3. Cum processio regressa fuerit, jamque ad infimum altaris majoris gradum Celebrans pervenerit, Diaconus genuflexus Sacramentum recipiet ab eodem Celebrante (qui statim ipse genuflectet velum humerale deponens) illudque, nisi alius adsit sacerdos, ipse in throno reponet et ad suum locum redibit factis debitis reverentiis. Statim vero cantores cantabunt "*Tantum ergo*," et dum intonant "*Genitori*," Celebrans cum Ministris erectus ibidem in medio et absque benedictione incensum ponet in thuribulo, et genuflexus ter Ss. Sacramentum adolebit. Omisso "*Panem de cœlo*," etc., statim a cantoribus canentur Litaniæ Sanctorum(1), quibus persolutis Celebrans erectus cantabit "*Dominus vobiscum*" cum orationibus subsequentibus; quibus finitis recedentes more solito, caput tegunt dum e conspectu Ss. Sacramenti recesserint.

442.—Ubi processio omittitur. Expleta Missa Celebrans assumpto pluviali, ut supra, cum Ministris ad altare accedit, ubi, facta in plano genuflexione, in infimo gradu geniculabit cum Subdiacono. Diaconus mox ostensorium in throno collocabit et statim cantabitur hymnus *Pange lingua.* Ad intonationem *Genitori Genitoque* Celebrans incensat Ss. Sacramentum. Omisso *Panem de cœlo* etc. statim cantabuntur Litaniæ, quibus persolutis Celebrans erectus cantabit *Dominus vobiscum* cum orationibus subsequentibus.

---

(1) Ad quæstionem num recitari possint Litaniæ B. Mariæ V. loco Litaniarum Sanctorum, in hac solemni Expositione ante Benedictionem. S. R. C. resp.: "Expedit servare Instructionem Clementinam." 4015, 5.

443.—Vespere, si Ss. Sacramentum reponatur, et postridie summo mane rursus exponatur, benedictio Ss. Sacramenti impertietur, et reponetur in custodia. Mane autem more solito exponitur, cani potest *Pange lingua* vel alius hymnus sine Oratione *Deus qui nobis* etc. Cf. Martinucci II. 38, 24.—Wapelh. 224, 1. Penes Episcopum est, præscribere quæ preces recitandæ sint unoquoque vespere, et præ cæteris recitari possint Litaniæ Omnium Sanctorum cum *Pange lingua* et Orationibus.

Ordo Repositionis.

444.—Finita Repositionis Missa Celebrans assumet pluviale, et ad altare redibit. Intonabunt cantores statim Litanias usque ad *Domine exaudi orationem meam* inclusive. Deinde Celebrans ponet incensum in thuribulo et Ss. Sacramentum adolebit, atque assumpto humerali, accipiet Sanctissimum, et fit processio. Infra processionem cantatur hymnus *Pange lingua*. Post processionem, deposito Sacramento, cantatur *Tantum ergo*, et ad versum *Genitori*, incensatur. Cantores dicent versiculum *Panem de cœlo*, et Celebrans, omisso *Dominus vobiscum*, Orationes, manibus junctis, cantabit, quibus finitis more solito populo benedictionem impertiet.

Diaconus Sacramentum in tabernaculo includet. Et finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

445.— Ubi processio omittitur. Finita Missa, Celebrans assumpto pluviali ad altare redibit modo supra memorato. Cantatis Litaniis usque ad *Domine exaudi orationem meam*, inclusive, intonabitur hymnus *Tantum ergo* et sub *Genitori Genitoque*, incensabitur Ss. Sacramentum. Dicto *Panem de cœlo* etc. Celebrans erectus, omisso *Dnus vobiscum*,

Orationes manibus junctis cantabit, deinde genuflexus humerale velum assumet, cujus cum extremitatibus Ostensorium capiens, benedictionem populo impertiet, aliaque peraguntur ut supra

446.—Ubi Repositio non fit post Missam, sed vespere tertii diei, expleta Missa omnes ad sacristiam redeunt. Vespere hora constituta Celebrans cum ministris sacris ad altare Expositionis procedit, et omnia peraguntur, ut supra pro Repositione exposita sunt. Color autem pluvialis et stolæ celebrantis et vestimentorum Ministrorum in hoc casu semper albus esse debet.

447.—Sacra Hostia, quæ in Expositione adorata erat, subsequenti die consumenda est, juxta Instr. Clem. § XXXI.

DE OFFICIO DIVINO.

Officium Divinum generatim.

448.—Ordo Romanus. Sacerdos, sive Rector ecclesiæ sive assistens, cui privilegium concessum est, recitandi Officium juxta Ordinem Romanum, in celebranda Missa Ordinem Ecclesiæ, i. e. diœcesanum sequi debet. Privilegium enim illud *personale* est, in quo Ecclesia respectiva non participat. Schober.

449.—In privata recitatione Officii Matutinum pro insequenti die per totum annum incipi potest hora secunda pomeridiana; in choro autem standum est tabellæ Directorii diœcesani. S. R. C. n. 4158.

Tam pro recitatione Officii divini, quam pro jejunio naturali ante Communionem præscripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus jejunii, stare quis potest publicis horologiis. S. R. C. 3365 ad IX.

450.—In privata recitatione Officii Matutinum a Laudibus separari potest; quo in casu, post Hymnum *Te Deum*, vel post ultimum Responsorium dicitur ℣ *Dominus vobiscum* etc. cum Oratione. Post Orationem dicitur ℣ *Dominus vobiscum* etc. ℣ *Benedicamus Domino* etc. ℣ *Fidelium animæ* etc.—Deinde dicitur *Pater noster* et *Ave* totum secreto.—Ante Laudes, si separentur a Matutino, dicitur secreto *Pater noster* et *Ave*. Conf. Rubr. novi Psalt.

451.—De Officio extra Diœcesim vel Monasterio dicendo sequentia notanda sunt:

1. Sacerdotes et clerici sæculares ad Horas canonicas obligati, qui alibi domicilium figunt, aut pergunt animo figendi domicilium (aut juxta quosdam, ibi manendi majori anni parte), tenentur sequi Calendarium Diœcesis, ad quam divertunt, cum ejus subditi fiant. S. R. C. 1445.

Si vero extra Diœcesim versentur animo ad propriam Diœcesim redeundi, possunt conformari officio loci, in quo morantur, sed non tenentur. S. R. C. 2682, 46. Beneficiarii autem tenentur semper ad Officium proprium, juxta idem Decretum. Idem consulendum est Parochis et vice-parochis, qui ecclesiæ suæ ligantur. — Item proprio Calendario utantur qui de loco ad locum peregrinantur; vel qui per breve tempus alibi morantur.

2. Clericus in Ordinibus Sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit Clero, Officium ab

Officio ipsius Clerici diversum recitanti generaliter non satisfacit suæ obligationi. S. R. C. 4011, 3.

3. Sacerdotes sæculares sine indulto neque religiosorum officium neque eorum ritum assumere valent, dum in eorum Monasteriis degunt. Nonnullis autem Religiosis, ut Patribus Societatis Jesu et Congregationis Ss. Redemptoris Sancta Sedes indulsit, ut Sacerdotes, qui in eorum domibus et sub eorum domibus et eorum directione exercitia spiritualia peragunt, si officium in communi recitant, Calendarium talis domus sequi possint, S. R. C. 3955. Indult. 7 Jul. 1864. et 13 Jan. 1892.

4. Regularis ex Ordine in quo divinum Officium in choro recitatur, "in itinere sequi debet divini officii ordinem cœnobii, ex quo discessit: dum pervenit, et manet in altero cœnobio, etsi ad tempus, hujus ordinem officii sequatur." S. R. C. 2801, 1; 3436, 2.

Regulares, qui prædicationis vel ex alia causa per aliquot dies a suo cœnobio absunt, sequi debent Officia Calendarii Cœnobii, apud quod hospitantur, si in choro Breviarium recitant; si vero privatim, servare debent Calendarium cœnobii, a quo discesserunt. S. R. C. 3919, 13.

Vide Wapelh. n. 253; Van der Stappen I, qu. 99. 5-9.

De errore Calendarii.

452.—Sacerdos, qui probabilius judicat **Calendarium** [seu directorium] suum **errare** quoad Officium, Missam et colorem paramentorum, debetne illud sequi, an proprio judicio inhærere? S. R. C. 4031, 5 respondit, "Standum esse Calendario."—Error vero, qui evidenter Rubricis repugnat, corrigendus est. Responsum enim allatum, casum considerat, quo res adhuc est sub judice, ita ut, ad

uniformitatem inducendam, necesse sit uni adhærere, licet minus probabili, opinioni et judicio, quod Calendario exprimitur. Quando vero de re certo definita agitur, tenendum est, eam ab omnibus cognosci et sic ab omnibus uniformiter errorem corrigi posse. Ita Pighi, *Lit. Sac.* n. 105, juxta S. R. C. 3714, 2. et Gennari *Consultaz. Can. Mor. Lit.* Vol. II, P. III Cons. 19.

De Officio Divino ordinando

juxta Bullam *Divino afflatu* Pii X et novissimas Rubricas.

453.—Singulis Hebdomadæ diebus assignati sunt: Ad MATUTINUM novem Psalmi in tres Nocturnos distributi cum suis Antiphonis et Versu pro singulo Nocturno.—Ad tertium Nocturnum Matutini Feriæ IV duo habentur schemata Psalmorum, quorum secundum quandocunque Laudes II schematis dicuntur, adhibetur, ut suo loco notatur.

Ad LAUDES duo schemata Psalmorum ponuntur, quorum prius in Officio de tempore per annum et in Festis adhibetur, alterum vero diebus et temporibus pœnitentialibus, ut suis locis notatur. —Singulis Psalmis propriæ Antiphonæ appositæ sunt.

PRIMÆ, TERTIÆ, SEXTÆ, NONÆ, VESPERIS, et COMPLETORIO pariter pro singulis Hebdomadæ diebus proprii Psalmi assignati sunt.

454.—In prima parte novi Psalterii, i. e. in Ordinario, Rubricæ inveniuntur, quæ observandæ sunt, quando Officium extra Chorum ab uno tantum recitatur.

Ad petendam Benedictionem ante Lectiones Matutini et Lectionem brevem Primæ et Completorii dicitur: *Jube, Domine benedicere.*

Ad Confessionem semel tantum dicitur *Confiteor,* omissis verbis *tibi* aut *te pater* vel *vobis* aut *vos fratres.*

Dicitur: *Misereatur nostri* et *Indulgentiam.. tribuat nobis.*

De Officiis Festivis.(1)

Duo distinguuntur Officia Festiva: alia, digniora, quæ partes suas *non* accipiunt e Feria occurrente, alia, minus digna, quæ accipiunt.

De Officiis Festivis dignioribus.

455.—Officia, quæ *non accipiunt* partes e novo Psalterio sunt sequentia:

Omnia Festa novem Lectionum Domini, beatæ Mariæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, Ss. Apostolorum, Evangelistarum; omnia Duplicia I et II classis aliorum Sanctorum, Vigiliæ Epiphaniæ et Pentecostes, Dominicæ infra Octavas Nativitatis Dni, Epiph., Ascens. et Corp. Dni. et integræ Octavæ Domini tantum, quæ in universali Ecclesia recoluntur (scil. Nativitatis Dni, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Dni), et Feria VI post Octavam Ascensionis.—Ea quæ ad Vigiliam Nativitatis, Triduum Sacrum et Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum spectant, suis locis disseruntur.

---

(1) Rubr. Tit. I.

456.—Hisce diebus Officium recitandum est, prout invenitur in Breviario in Proprio de Tempore aut in Proprio vel Communi Sanctorum vel in Proprio Diocesis vel Instituti.

Videlicet:

1. Ad MATUTINUM et VESPERAS omnia dicuntur, ut suis locis, i. e. vel in Proprio de Tempore, vel in Proprio Sanctorum habentur. In hisce Officiis, si ad I Noct. Matutini Lectiones sint de Scriptura occurrenti (e. g. in festo Ss. Philippi et Jacobi, 1 Maji, et S. Joannis, 6 Maji), Respons. sumuntur de Proprio vel Communi Sanctorum.

2. Ad LAUDES sumuntur Psalmi e Dominica prioris schematis, reliqua ut loco suo notantur, ut supra dictum est.

3. Ad PRIMAM Psalmi de Dominica dicuntur, scil. *Deus in nomine, Beati immaculati in via, Retribue*, sub prima Antiph. e Laudibus, Capitulum *Regi sæculorum* et reliqua, ut in Psalterio. Lectio brevis est Capitulum Nonæ.

4. Ad TERTIAM, SEXTAM et NONAM Psalmi dicuntur de Dominica, Antiphonæ de Laudibus Festi e Proprio de Tempore vel Sanctorum. Reliqua pariter de Festo.

5. Ad COMPLETORIUM omnia dicuntur ut in Dominica.

De Officio ordinario
in Festis inferioris ordinis.

457.—Officia duplicia majora ac minora et semiduplicia, quæ supra, n. 455, non enumerantur, et de diebus infra Octavas festorum dup. I classis, quæ supra, n. 455, non excipiuntur, accipiunt partes suas e Psalterio de Feria occurrente, et Officium sic ordinatur:

1. Ad **Vesperas**, dummodo dicendæ sint de tali Officio, Antiphonæ et Psalmi de Feria currente, Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad *Magnificat* et Oratio de Proprio vel Communi Sanctorum sumuntur.

Nihil refert, utrum I vel II Vesp. dicantur, Psalmi semper de Feria currenti dicuntur, ut ad alias Horas anteriores.

Ad Vesperas, si sint de Officio semiduplici, nec infra aliquam octavam festi I classis, addi debet Suffragium vel Commem. de Cruce, ut ad Laudes.

2. Ad **Completorium** omnia dicuntur, ut in Psalterio de Feria currente, et si in Vesperis dictum fuerit Suffragium vel Commem. de Cruce, addendæ sunt Preces ad Completorium.

3. Ad **Matutinum:** Invitatorium et Hymnus de Proprio vel Communi Sanctorum.

Antiphonæ, Psalmi et Versus ante Lectiones sumuntur e Psalterio de Feria currente, quæ per annum vel pro temp. Pasch. assignantur.

Notandum.—Feria IV tres ultimi Psalmi cum Ant. sunt de I loco.

Lectiones I Nocturni leguntur de Scriptura occurrenti cum Responsoriis respectivæ feriæ. Quodsi Lectiones de Dominica reponantur infra hebdomadam, Responsoria sumantur de Dominica, sin autem Lectiones ex una feria ad aliam transferantur, Responsoria dicantur de Feria currente.

Deficientibus Lectionibus Scripturæ occurrentis, e. g. temp. Quadr., Lectiones cum Responsoriis sumuntur de Communi, nisi propriæ assignentur.

Lectiones II et III Nocturni cum suis Responsoriis leguntur, quæ in Proprio vel Communi Sanctorum assignantur.

Loco nonæ Lectionis Officii currentis legenda est

a.) Lectio historica occurrentis Officii simplicis vel simplificati. E 2 vel 3 semper fit una.

b.) Homilia occurrentis Officii de Feria majore aut Vigiliæ. Quodsi eadem die occurrant talis Feria et Vigilia, nihil fit de Vigilia in Officio.

Sin autem Evangelium Feriæ aut Vigiliæ idem sit (partim saltem) cum Evangelio Festi, talis Lectio omittitur. Conf. n. 184.

4. Ad **Laudes** semper adhibetur I schema. Antiphonæ et Psalmi dicuntur de Feria currente, Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad *Benedictus* de Proprio vel Communi Sanctorum.

Si Officium sit semiduplex addi debet Suffragium, excepto tempore Adventus vel Passionis; tempore Paschali dicitur Commem. de Cruce loco Suffragii. Infra Octavas Festorum dup. I classis omittitur Suffragium vel (temp. Pasch.) Com. de Cruce. Conf. n. 497 et n. 500.

5. Ad **Primam** dicuntur Antiphonæ et Psalmi de Feria currente e Psalterio. Capitulum *Regi sæculorum* etc. de Ordinario.

In Festis semiduplicibus (nisi incidant infra aliquam Octavam festi dup. I cl.) dicendæ sunt Preces dominicales

Notandum. Antiphonæ, quæ in Ordinario, vel in fasciculis diversis temporibus assignatæ sunt, dicuntur in Officio feriali tantum. Idem valet pro Antiphonis Tertiæ, Sextæ et Nonæ.

Pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ

6. Ad **Tertiam, Sextam, Nonam** Hymnus de Ordinario, Psalmi cum Antiph. de Feria currente, Capitulum, Responsoria et Oratio de Communi vel Proprio Sanctorum sumuntur.

7. **Vesperæ**, nisi concurrant cum Officio nobiliore, de quibus n. 455 sermo erat, dicuntur, *ut supra*.

8. Ad **Completorium** Antiphonæ et Psalmi dicuntur de Feria currente, nisi præcedant I Vesperæ, vel integræ vel a Capitulo, aut II Vesperæ integræ fuerint, de alio Festo sive Officio, quod Antiphonam et Psalmos Completorii Dominicæ postulat.

Preces dicendæ sunt, nisi Vesperæ fuerint de Officio duplici vel infra octavam festi dupl. I cl.

Exceptiones.

458.—Si aliquod Festum proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora majori (Matut., Laud., Vesp.) eas in eadem Hora retinet cum Psalmis, prout habentur in Breviario. In ceteris Horis Psalmi et Antiphonæ dicuntur de Feria occurrente.

Talia Festa sunt, quæ in novo Breviario reperiuntur: S. Agnetis (21 Jan.) S. Agathæ (5 Feb.), Ss. Joan. et Pauli (26 Jun.)*, Invent. S. Stephani (3 Aug.), S. Martini (11 Nov.), S. Cæciliæ (22 Nov.), S. Clementis (23 Nov.)*, et Luciæ (13 Dec.)*

N. B.—Tria Officia notata (*) proprias Antiphonas habent ad Laudes et Vesperas, cetera autem ad Matutinum, Laudes et Vesperas, qua de causa ad illa tria solum ad Laudes et Vesperas Psalmi de Communi Sanctorum sumi debent, ad alia etiam ad Matutinum. Hæc omnia in novissimis editionibus Breviarii propriis locis clare indicantur.

Lectiones ad Matutinum in I Nocturno legendæ sunt de Scriptura occurrente etiam quando in Proprio Sanctorum Lectiones e Communi (scil. in veteribus edit. Breviarii) assignantur, dummodo Responsoria post Lectiones non sint propria, in quo casu Lectiones de Communi retinentur. Pariter legendæ sunt Lectiones propriæ, ubi in Proprio Sanctorum habentur, E. g. in officio de diebus infra octavam Assumpt. B. M. V.

459.—Lectiones propriæ in I Nocturno cum Responsoriis de Communi legendæ sunt in Festis S. Leonis I (11 Aprilis) etiam extra tempus Quadr., S. Benedicti (21 Mart.) et Impress. Vuln. S. Franc. (17 Sept.) et S. Josephi Cupert. (18 Sept.)

460. —NOTANDA DE LECTIONIBUS PRIMI NOCTURNI PROPRIIS.(1)

Lectiones dicuntur stricto sensu propriæ, quæ cum suis Responsoriis asservantur, etiam si Lectiones de Initiis Sacræ Scripturæ occurrentis eo anno prorsus omittendæ sint, quando

a.) pro auctore habent Sanctum, de quo agitur Festum, uti in die Octava Ascensionis, sub die 18 Januarii, 22 Februarii et 6 Maji;

b.) de Mysterio vel Persona illius Sancti, de quo Festum recolitur, explicitam et litteralem habent mentionem, uti sub die 25 Januarii, 8 Maji, 11 et 30 Junii, 1 et 3 Augusti, 14 Septembris ac 2 Octobris.

In reliquis autem casibus dicuntur *sensu* tantum *lato* propriæ vel appropriatæ, uti sub 11 Februarii, in priori Septem Dolorum Festo, ac die 22 Julii, per Octavam Assumptionis, die 29 Augusti, 17 et 18 Septembris et 18 Novembris; quæ quidem Lectionibus de Initiis Scripturæ occurrentis eo anno secus omittendis cedunt, quoties Festum ritum I vel II classis non habeat, et quod in casu Responsoria etiam cedit Responsoriis de Tempore, quoties ea sint de Communi vel de Octava apud Ecclesiam universalem non privilegiata, Brehm, *Conspectus* 5 ed. pag. 39.

---

(1) S. R. C. 19 Apr. 1912 ad XVI et XVII. Conf. *Ephem. Lit.* vol. 26. pag. 368 et seq.

De Officio ın Festis simplicibus et Sanctae Mariae in Sabbato.

461.—1. De Festis simplicibus et S. Mariæ in Sabbato Officium fieri nequit tempore Adventus et Quadragesimæ, neque in Feriis Quattuor Temporum, nec Feria II Rogationum neque in Vigiliis.

2. Si Festum simplex occurrat in Sabbato libera a Festo novem Lectionum Officium fieri debet de S. Maria cum Commem. simplicis.

3. Officium Festorum simplicium et S. Mariæ in Sab. incipit a I Vesperis et terminatur ad Nonam.(1)

462.—Officium generatim ordinatur modo hoc:

Ad **Vesperas** omnia dicuntur, ut in semiduplicibus.

Ad **Matutinum** dicitur Invitatorium et Hymnus de Sancto (a) vel Sanctis e Proprio vel Communi Sanctorum.

Psalmi trium Nocturnorum Feriæ currentis cum suis Antiphonis dicuntur sine interruptione cum Versu tertii Nocturni, omissis Versibus I et II Nocturni. — Tempore Paschali novem Psalmi recitantur sub una Antiphona.

Lectio I et II semper sunt de Scriptura occurrente cum Responsoriis de Feria respectiva. III Lectio est de Sancto (a) vel Sanctis, si adest.—Quod si quis vetere edit. Brev. utatur, ubi nonnunquam duæ Lectiones de Sanctis habentur, istæ Lectiones jungendæ sunt, — In fine II Responsorii dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis responsorii.

Dicitur *Te Deum.*

Laudes et reliquæ Horæ absolvuntur, ut in Festis semiduplicibus, ut supra, n. 457 exponitur.

---

(1) Conf, Rubr. gen, Brev. Tit. III. V, VI.

Suffragium vel (temp. Pasch.) Commem. de Cruce ad Vesperas et Laudes, **Preces** ad Completorium et Primam dicenda sunt, nisi concurrentia obstet.

463.—De Officio S. MARIÆ IN SABBATO speciatim notanda sunt:

Ad **Vesperas** Antiphonæ et Psalmi de Feria VI, Capitulum et reliqua de Proprio in fine Breviarii. Suffragium 2° loco (e. i. omisso nomine Mariæ).

Completorium de Fer. VI. Concl. Hymni *Jesu tibi sit gloria*, quæ dicitur etiam ad ceteras Horas. Preces, ut solito.

Ad **Matutinum**: Invitatorium et Hymnus de Proprio. Antiph. (Temp. Pasch. unica Ant *Alleluja)*, 9 Psalmi cum Versu III Noct. de Sabbato e Psalterio. Absolutio et Benedictiones de Proprio. Lectio I et II cum suis Responsoriis de Scriptura occurrenti. Lectio III de Proprio. Dicitur *Te Deum*.

Ad **Laudes** dicuntur Ant et Psalmi de Sabbato, cetera de Communi B. Mariæ V.

Per **Horas** omnia, ut in Festis simplicibus, de Sabbato e Psalt. et ut in festis B. Mariæ V. per annum.

De Festo simplici, si occurrat, fit commemoratio in I Vesp. et ad Laudes.

De Dominicis.

464.—De DOMINICIS MAJORIBUS **I classis** semper fit Offiicium. Festa duplicia I et II classis transferuntur juxta novas regulas occurrentiæ; Festa inferioris ritus cujusvis dignitatis commemorantur. Sed non legitur Lectio historica, si habeatur. Idem valet de Dominicis II classis et Dominicis minoribus seu per annum.

Dominicæ I classis sunt: Dominicæ I Adventus, I, II, III ac IV Quadragesimæ, Passionis, Palmarum et in Albis.—Dominicæ Resurrectionis, Pentecostes et Trinitatis inter Festa duplicia I classis recensentur, quæ nullam admittunt commemorationem.

465.—De Dominicis majoribus **II classis** semper fit Officium, nisi occurrat Festum duplex I classis. Festa duplicia II classis transferuntur juxta novas regulas occurrentiæ; Festa inferioris ritus cujusvis dignitatis commemorantur.

Dominicæ II classis sunt: Dominicæ II, III, IV Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ.

466.—De Dominicis **Minoribus**, seu per Annum, semper fit Officium, nisi occurrat quodcunque Festum Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis. Festa duplicia tum majora, tum minora et semiduplicia commemorantur in utrisque Vesperis, Laud. et Missa, quin tamen legatur de iisdem Lectio historica, ut supra dictum est.

In Dominicis infra Octavas privilegiatas, Nativ. Dni, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi officium fit more festivo ad normam respectivæ Octavæ, ut n. 455 et 456 exponitur.

Notandum.—Juxta Decretum S. R. C. 28 Oct. 1913, I: "Dominicæ quævis perpetuam assignationem cujuslibet Festi excludunt, exceptis Festis Ss. Nominis Jesu et Ss. Trinitatis," ut suo loco notatur.

467. — Quomodo Officium ordinandum sit in Dominica per annum.

NOTANDUM.—*Claritatis causa hoc loco ea tantum exponuntur, quæ spectant Officium Dominicæ per annum, scil. ab Octava Epiphaniæ usque ad Domin. Septuagesimæ et post festum Trinitatis usque ad Adventum. Ea quæ ad diversa anni tempora spectant, suis locis habentur, scil. ad tempus Adventus, a Dominica Septuag. usque ad Pascha et ad tempus Paschale.*

Officium de DOMINICA sic ordinatur:

1. Ad **I Vesperas,** quæ semper integræ et ritu semiduplici dicuntur, nisi concurrant cum Festo duplici I vel II classis, omnia, sumuntur de Sabbato e novo Psalterio, præter Antiph. ad *Magnificat* et Orationem. Antiphona ad *Magnificat* habetur in Psalterio usque ad Dom. Septuag., post Pentecosten in Proprio de Tempore, ut suo loco notatur. De Suffragio *vide infra* 7.

2. **Completorium,** pariter de Sabbato dicitur, quando Vesperæ sunt de Dominica. De Precibus *vide infra* 8.

N. B.—**Antiphona finalis** B. Mariæ V. a I Vesperis Dominicæ usque ad II Vesperas, inclusive semper dicitur stando in choro. Id etiam valet in casu quo Matutinum Feriæ II *ante solis occasum* in Dominica anticipetur. S. R. C. 2572, 1 et 2587, 7.

3. Ad **Matutinum:** Omnia habentur in Psalterio, præter Lectiones quæ cum suis Responsoriis sumendæ sunt e Proprio de Tempore.

Te Deum dicitur.

4. Ad **Laudes:** Omnia sumuntur de I loco e Psalterio, exceptis Antiphona ad *Benedictus* et Oratione, quæ inveniuntur in Proprio de tempore. De Suffragio *vide infra* 7.

5. Ad **Primam** et alias **Horas** omnia sumuntur de Psalterio, excepta Oratione ad Tertiam, Sextam et Nonam.

Ad Primam dicuntur Psalmi *Confitemini*, *Beati immaculati*, *Retribue* et Symbolum *Quicunque*. De Symbolo et Precibus *vide infra* 9.

6. **II Vesperæ** et **Completorium** dicuntur de Dominica ut habentur in Psalterio; Antiphona ad *Magnificat* et Oratio sumuntur e Proprio de Tempore. De Precibus *vide infra* 8.

7. **Suffragium** dicitur post Vesperas et Laudes, nisi facienda sit commemoratio alicujus Festi duplicis, etiam simplificati, aut alicujus Octavæ. Conf. n. 497.

8. **Preces** dicuntur ad Completorium nisi in Vesperis facta fuerit commem. Festi dup. vel octavæ, ut supra. Conf. n. 495.

9. Ad Primam omittitur **Symbolum** *Quicunque* similiterque omittuntur Preces dominicales, quando ad Laudes facta est commem. alicujus Festi duplicis vel Octavæ. — Præterea omittitur Symbolum *Quicunque* in omnibus Dominicis majoribus et toto tempore Paschali; dicitur autem in festo Ss. Trinitatis, ut suis locis notatur.

De Officio Feriali.

468.—Feriæ dividuntur in Ferias majores et Ferias per annum. Feriæ majores aliæ privilegiatæ, sc. Feria IV Cinerum et Feriæ II, III, IV Hebdomadis sanctæ, de quibus semper fit Officium;

Aliæ, non privilegiatæ, sc. Feriæ Adventus, Quadragesimæ, II Rogationum et IV Temporum Septembris, quæ excludunt officium festi simplicis, et

de quibus saltem fit commemoratio.—Hisce feriis adnumerandæ sunt Vigiliæ communes. De Vigiliis privilegiatis Nativitatis Dni, Epiphaniæ et Pentecostes suo loco dicendum est.

469. — Officium feriale incipit a Matutino, nisi concurrat cum alio Officio feriale, et terminatur ad Nonam. In Adventu tamen et tempore Quadragesimali Officium feriale habet suas Vesperas, quæ saltem commemorantur.

470.—De Officio feriali ordinando.

Notandum.—*Hoc loco exponitur tantum, quomodo Officium persolvendum sit per annum, scil. post Octavam Epiphaniæ usque ad Dominicam Septuagesimæ et post festum Ss. Trinitatis usque ad Adventum. Ea quæ spectant tempus Adventus, a Dominica Septuag. usque ad Pascha, et tempus Paschale suis locis indicabuntur.*

Officium feriale sic ordinatur:

1. Ad **Matutinum** omnia dicuntur ut habentur in Psalterio:

Novem Psalmi cum suis Antiphonis dicuntur sine interruptione usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo. Feria IV tres ultimæ Antiphonæ cum Psalmis de I loco dicuntur.

Absolutiones et Benedictiones ante Lectiones dicendæ habentur in Ordinario.

Tres Lectiones de Scriptura occurrenti leguntur cum suis Responsoriis in Proprio Temporis designatis.

Te Deum non dicitur.

2. Ad **Laudes** I loci omnia dicuntur, ut habentur in Psalterio. Oratio sumitur de Dominica præcedenti et dicitur Suffragium.

3. Ad **Horas** omnia dicuntur, ut in Psalterio et Ordinario. Ad Primam dicitur Capitulum *Pacem et veritatem* et adduntur Preces dominicales.—Oratio ad Horas dicitur ut ad Laudes.

4. **Vesperæ** recitantur, ut habentur in Psalterio cum Oratione Dominicæ præcedentis et Suffragio.

5. Ad **Completorium** feriæ adduntur Preces.

471.—OBSERVANDA quoad Vigilias:

1. In Vigiliis communibus et Feriis IV Temporum mense Septembri, si de eis fit Officium, omnia dicuntur, ut supra, sequentibus exceptis:

Ad Matutinum in Feria IV recitandi sunt tres ultimi Psalmi cum Antiphonis II loci.

Ad Lectiones de Homilia sumuntur Responsoria respondentis Feriæ.

Ad Laudes II schema sumitur et præter Suffragium dicendæ sunt preces feriales.

Ad Primam additur I Psalmus ex Laudibus I schematis, et dicuntur Preces feriales (seu majores), item adduntur Preces ad reliquas Horas.

2. Vigilia communis. si occurrat in Dominica, anticipatur in Sabbato, et si occurrat in Festo dup. I classis, de ea nihil fit.

De Octavis (1)

472.—PRÆMONITUM.

De Octavis, quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 Decembris ad Vigiliam Nativitatis Dni, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Ss. Trinitatis, semper inclusive. *Rub. noviss. Brev.* Tit. III, 5. Conf. n. 718, 4.

---

(1) Rubr. noviss. Tit. III. S. R. C. 28 Oct. 1913, II.

De Octavis novissimæ Rubricæ statuunt **Regulas** sequentes, juxta earum diversos ordines:

1. Octavæ PRIVILEGIATÆ **I ordinis:** Octavæ Paschæ et Pentecostes, de quibus semper fit Officium. Excludunt quodcunque festum.

2. Octavæ PRIVILEGIATÆ **II ordinis:** Octavæ Epiphaniæ et Corporis Christi, quæ in diebus infra Octavam Festa I classis tantum, in die ipsa Octava nullum Festum admittunt. Cf. Tab. Occurr.

Excipiuntur festa Nativ. S. Joannis Bapt. et Ss. Apost. Petri et Pauli, tamquam Festa dupl. I cl. primaria universalis Ecclesiæ, de quibus, si occurrant, fit Officium in die Octava Corporis Christi, cum commem. diei octavæ.(1)

3. Octavæ PRIVILEGIATÆ **III ordinis:** Octavæ Nativitatis et Ascensionis Domini, quæ in diebus infra Octavam Officia tantum simplicia, die Octava omnia Officia duplicia majora et minora excludunt, de quibus fit tantum commemoratio.

Feria VI post Octavam Ascensionis eodem jure gaudet, ac dies infra Octavam, ita tamen ut in ea de die infra Octavam alterius Festi Officium admittat, et occurrente aliquo festo I et II classis ejus commemoratio omittatur.

4. Octavæ **communes**, i. e. aliorum Festorum, etiam Domini, duplicium I classis per annum, quæ infra Octavam Officia simplicia tantum, die octava autem omnia Officia duplicia majora et minora excludunt.

5. Dies Octava prædictorum Festorum sub ritu duplici majori peragitur.

---

(1) Rubr. Brev. ante diem oct. Corp. Chr. et Notanda in Tab. Occurrentiæ et Concurrentiæ, 13.

6. Per totas Octavas privilegiatas trium ordinum Officium fit, ut in ipsa festo.

7. Infra Octavas communes et in ipsa die Octava Officium fit, ut in Festis duplicibus et semiduplicibus per annum i. e. Ant. et Psalmi sumuntur e Psalterio.

8. Octavæ **simplices**, scil. Festorum duplicium II classis, infra octavam neque celebrantur, neque commemorantur; in die Octava Officio tantum simplici gaudent, quod penitus excludit Officium S. Mariæ in Sabbato, admittit autem commemorationem alicujus festi simplicis occurrentis.

473.—Observanda.

a.) In Officiis semiduplicibus et simplicibus infra Octavam simplicem occurrentibus *non omittuntur* Suffragium et Preces ad Primam et Completorium; *omittuntur* autem die Octava simplici, si de ea fit Officium vel saltem commemoratio.

b.) Conclusio Hymnorum et Versus ad Primam, quæ propria sint Octavæ simplicis, dicuntur a I Vesperis usque ad Nonam in ipsa die Octava, etiam si ea in Officio nobiliori solam habeat Commemorationem: non dicuntur infra Octavam. In Officiis de Tempore Adventus numquam adhibetur conclusio *Jesu, tibi sit gloria*, vel ℣ *Qui natus.*

Rubr. nov. Tit. VIII, 1. Conf. *Ephem. Lit.* vol. 28 pp. 152 et sq.

c.) Pariter, si Festum duplex II classis de cujus Octava agitur, in Missa habeat *Credo* et Præfationem propriam, ista etiam adhibenda sunt in die Octava, si de ea fiat Officium vel saltem commemoratio, dummodo illud *Credo* non sit contra naturam Missæ, uti in Missa de Feria, Vigilia aut in Missa votiva.

Conf. *Rubr nov.* Tit. VIII, 1. et *Ephem. Lit.* vol 28, pag 126.

De Occurrentia et Translatione Festorum eorumque Commemoratione.(1)

474.—Ordo Præferentiæ Officiorum in Occurrentia:(2)

1. Dominicæ I classis.

2. Duplicia I classis primaria universalis Ecclesiæ.

3. Circumcisio Dni—Dies octavæ Epiphaniæ et Corporis Chr.(3)—Feria IV Cinerum et Feriæ Hebdomadæ majoris—Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes—Vigiliæ Pentecostes et Nativitatis Dni.

Supra dicta Officia privilegiata nulli alii Officio cedunt: de ceteris Officiis servandæ sunt Regulæ subsequentes n. 475-477 incl.

4. Dies octava II ordinis.

5. Dedicatio et Titulus ecclesiæ propriæ—Patronus loci principalis—Titulus et Fundator ordinis seu congregationis religiosæ.

6. Cetera duplicia I classis primaria, si alicubi habeantur.

7. Festum Ss. Cordis Jesu, et alia Duplicia I classis secundaria, si habeantur.

8. Dominicæ II classis.

9. Dies infra octavam II ordinis.

Quum dies infra octavas Epiphaniæ et Corporis Christi tantum sint privilegiatæ II ordinis, apparet illas nunquam occurrere posse in aliqua Dominica II classis ideoque illæ nono loco numero positæ sunt in hoc ordine Officiorum.

10. Duplicia II classis.

11. Festa Domini duplicia majora.

12. Dominicæ minores et Vigilia Epiphaniæ.

---

(1) Conf. *Rubr. noviss.* Tit. IV.

(2) Conf. Tabellam novissimam Occurrentiæ.

(3) Vide n. 472. 2.

13. Dies octavæ festorum duplicium I cl., quæ sunt duplicia majora. Cf. 472, 5.

14. Duplicia majora, quæ non sunt festa Domini.

15. Duplicia minora.

16. Semiduplicia.

17. Dies infra octavas Nativitatis et Ascensionis.

18. Dies infra Octavas communes.

19. Feriæ majores et vigiliæ.

20. Dies octavæ simplicis sc. fest. II classis.

21. S. Mariæ in Sabbato.

22. Simplicia.

Enumeratis diversis Officiis juxta ordinem præferentiæ apparet, quodnam ex duobus vel pluribus Officiis eodem die occurrentibus sit persolvendum. Regulæ, quæ subsequuntur, quomodo adhibendæ sint, exemplis paucis dilucidantur. Ex. gr. Si eodem die occurrat Exaltatio S. Crucis, officium dup. maj., et Dominica minor, Officium fit de Exalt. S. Crucis, scil. festo Dno (n. 11) cum commem. Dominicæ (n. 12); sin autem Decollatio S. Joan. Bapt., dup. maj. (n. 14) occurrat in Dominica (n. 12), Officium fit de Dominica cum commem. Decoll. S. Joan.

Utrum autem Officium minus dignum transferendum, aut commemorandum, aut omittendum sit, discitur ex n. 475 et n. 477.

Quum præterea eodem die duo officia occurrere possint, quæ transferri seu reponi debent, regulæ Præstantiæ, n. 476, consulendæ sunt in tali casu.

Ceterum quæ observanda sint quoad diversas commemorationes occurrentium Officiorum, in sequenti tractatu "De Commemorationibus," n. 478-483, exponuntur.

Regulæ servandæ in occurrentia Officiorum:

475.—Sola Festa **duplicia I et II classis**, quæ ab alio nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt

in proximiorem insequentem diem, quæ libera est ab alio Festo duplici I vel II classis, a Dominica occurrenti, a Vigilia privilegiata, et ab aliis Officiis quæ hujusmodi Festa respective excludant. Talia Officia excludentia sunt Feria IV Cinerum et alia supra (474, 1, 3) enumerata. Conf. *Rubr. noviss.* Tit. IV, 2.

476.—In transferendis duplicibus I et II classis characteres **Præstantiæ** considerandi sunt, scil.

a.) *Ritus altior;*

b.) *Major solemnitas*, i. e. si celebretur cum feriatione seu sub præcepto vel cum octava;

c.) *Ratio primarii vel secundarii;*

d.) *Dignitas*: dignitas personalis ultimo loco quærenda est in ordine quo Sancti inscribuntur in litaniis.

e. Proprietas Festorum: "Dicitur festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiæ, de loci Patrono, etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in ejus appendice approbata descripto) cujus habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum cœtu specialem habet rationem. Igitur festum quodvis istiusmodi proprium, *cæteris paribus*, præfertur festo universalis Ecclesiæ. Excipiuntur tamen dominicæ, feriæ, octavæ et vigiliæ privilegiatæ, necnon festa primaria duplicia primæ classis universalis Ecclesiæ, quæ uniuscujusque loci propria considerantur et sunt." Hic character in occurrentia et in repositione aut translatione (non igitur in concurrentia) considerandus est. Aertnys, *Comp. tit.* 8 edit n. 172. III. e, p. 139.

477.—Festa **duplicia** sive **majora**, sive **minora** aut **semiduplicia** cujusvis ordinis, quæ sive *acciden-*

taliter, sive *perpetuo* impediuntur a quacunque Dominica, vel Feria aut Octava privilegiata (quæ supra enumerantur) vel Festo altioris ritus (sive fixo sive resposito) non transferuntur, sed de eis vel fit, vel omittitur commemoratio.

Omittitur talis commemoratio in Festis privilegiatis Dni. Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis cum duobus diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Ss. Corporis Dni, et in Missa Vigiliæ Nativ. Dni et Pentecostes,

In aliis Duplicibus I classis, tum Domini quæ non sunt privilegiata, tum Sanctorum, **fit** commemoratio in Laudibus et Missis privatis tantum, non autem in Vesperis et Missa cantata.

In Duplicibus II classis, Dominicis, Feriis et Octavis privilegiatis fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, et extra Dominicam et Ferias privilegiatas legitur nona Lectio historica de tali Festo commemorato, duabus vel tribus Lectionibus in unam conjunctis.

De Commemorationibus Officiorum, quæ impediuntur Officiis nobilioribus.[1]

De diversis Commemorationibus, quæ occurrere possunt, notanda sunt sequentia:

478.—De quacunque Dominica, quæ Officio nobiliore impeditur, commemoratio fit in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa; præterea loco nonæ Lectionis de ea legitur Homilia et ultimum Evangelium in Missa.

---

(1) Conf. n. 474 et seq. *De Occurrentia.*

479.—De Feriis Adventus et Quadragesimæ semper fit commem. in Vesperis, Laudibus et Missa.

De aliis Feriis majoribus, scil. Quat. Tempor. mense Septembris et Fer. II Rogationum et Vigiliis communibus fit commem. tantum in Laud. et Missa.

De omnibus autem Feriis memoratis quæ propriam habent Missam, et Vigiliis legitur nona Lectio de Homilia et ultimum Evangelium in Missa.

Si occurrat Vigilia in Feria majore (e. g. in Feria Quattuor Temporum mense Septembri vel Decembri) commem. fit Vigiliæ in Missa tantum sine ultimo Evangelio ejusdem.

Si Vigilia communis occurrat in Festo dup. I classis, ejus commemoratio omittitur; si occurrat in Dominica, anticipatur Vigilia in Sabbato, exceptis Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Dni, quarum Officium fit in ipsa Dominica. Conf. 471, 2.

480.—De Officio duplici majori et minori vel semiduplici simplificato fit commem. in utrisque Vesperis, nisi obstet concurrentia, in Laudibus et Missa; præterea legitur nona Lectio historica, nisi occurrat in Dominica, (etiam anticipata), in Festo I classis, in Vigiliis Epiphaniæ et Pentecostes, in quolibet Officio trium Lectionum, infra octavas Epiphaniæ et Corporis Christi, et quando legenda est nona Lectio de homilia.

Omittitur commem. talium Festorum simplificatorum in Festis duplicibus I classis Dni privilegiatis, scil. Nativit. Dni., Epiphaniæ, Triduo Sacro, Paschatis cum 2 diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum 2 diebus sequentibus, et Corporis Christi, atque die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

In aliis Festis Dni et Sanctorum dup. I classis commemoratio duplicium et semiduplicium facienda est tantum in Laudibus et Missis privatis.

481.—De Officio simplici (etiam die octava simplici) fit commem. in primis Vesperis, Laudibus et Missa tantum, et legitur nona Lectio si habeatur.—Occurrente Festo dup. I classis talis commem. omittitur; in Festis dup. II classis commem. fit tantum in Laudibus et Missis privatis, legitur autem nona Lectio historica.

482.—De diebus infra Octavas privilegiatas I ordinis (Pasch. et Pent.) semper fit Officium.

De diebus infra Octavas privil. II ordinis, (Epiph. et Corp. Chr.) occurrente festo dupl. I classis, commem. facienda est. Alias Officium semper fit de die infra oct.

De diebus infra Octavas privil. III ord. (Nativ. et Ascens. Dni) occurrente quocunque Festo dup. vel semiduplici fit commem. in utrisque Vesp., Laud. et Missa.

De diebus infra Octavas communes, occurrente Festo duplici vel semid. fit commem., non autem occurrente festo dupl. I vel II classis.—Nota quæ habentur sub "Concurrentia."

483.—De die octava alicujus Festi duplicis I classis privilegiati II ordinis semper fit Officium. Cf. 472, 2.

De die octava autem alicujus Festi dup. I classis inferioris ordinis fit commemoratio, quando occurrit cum quocunque Festo dup. I vel II classis.

Occurrente Festo duplici majori in die octava alicujus Fest dup. I classis, quæ pariter ritu dup. maj. gaudet, Officium fit de die octava cum commem. Festi occurrentis. Conf. 474.

De die octava simplici fit commemoratio tantum in Festis dup. II cl. et inferioris ritus.

De Vesperis ordinandis

seu CONCURRENTIA FESTORUM.(1)

N. B.—**Regulæ Concurrentiæ** habentur in novissimis Tabellis et Notandis, quæ in Breviario inveniuntur.

484.—Ordo **Præferentiæ** Officiorum in Concurrentia servandus:

1. Duplicia I classis primaria, universalis Ecclesiæ.
2. Dedicatio et Titulus propriæ ecclesiæ, Patronus loci principalis. Titulus et Fundator ordinis seu congregationis religiosæ.
3. Cetera duplicia I classis.
4. Duplicia II classis.
5. Dominicæ majores.
6. Festa Domini duplicia majora.
7. Dominicæ minores.
8. Dies octavæ dupl. maj.
9. Duplicia majora quæ non sunt Domini.
10. Duplicia minora.
11. Semiduplicia.
12. Dies infra octavas III ordinis et communes.
13. Feriæ majores.
14. Dies Octavæ simplicis.
15. Simplicia.

NOTANDA.

1. Regula generalis servanda est, quod in Vesperis commemoratio Officii concurrentis semper præcedere debet aliis commemorationibus, etiam nobiliorum Officiorum.

---

(1) Vide Rubr. Tit. VI et VII.

2. Si aliquando duo festa de eodem Sancto vel Mysterio concurrant, quæ ejusdem sunt ritus, Vesperæ dicuntur integræ de præcedente sine commem. sequentis. S. R. C. 2802, 5.

3. Illa Commemoratio, quæ ab Officio concurrenti vel occurrente est inseparabilis ut S. Pauli Ap. in Offio S. Petri Ap. ac vice versa, semper ante alias facienda est.

Hinc sequentes **Regulæ** sunt servandæ:

485.—Dominicæ majores Vesperas integras habent in concurrentia cum quovis Festo, nisi sit ritus duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis dicuntur Antiphonæ cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonæ de Laudibus Dominicæ cum Psalmis de Sabbato.

486.—Dominicæ minores cedunt Vesperas, tum Duplicibus I et II classis, tum omnibus Festis Domini; non vero diebus Octavis item Domini, quæ non sunt privilegiatæ; integras autem habent Vesperas in concurrentia cum aliis Festis et Officiis, in quo casu sumuntur in I Vesperis Antiphonæ et Psalmi de Sabbato, aut, infra Octavas privilegiatis, de Octava currenti, e. g. infra Octavam Ascensionis.

Festa Domini, etiam secundaria, in Dominica occurrentia, et Vigilia Epiphaniæ, integras habent Vesperas, in concursu cum Duplicibus majoribus et minoribus, quæ non sint Domini.

487.—In primis Vesperis Festi duplicis I classis non fit commemoratio de præcedenti, nisi fuerit aut Dominica sive major, sive minor, aut Duplex I vel II classis, aut dies octava privilegiata aut dies infra Octavam privilegiatam (Epiphaniæ, Ascensionis vel Corporis Christi), aut Feria major.

In secundis Vesperis Festi dup. I classis semper fit commemoratio de sequenti Officio (etiam Festi simplificati), non autem de die infra Octavam non privilegiatam, neque si de tali die fiat Officium sequenti die, nec de Simplici.

488.—In primis Vesperis Festi duplicis II classis semper fit commemoratio de præcedenti Officio, nisi fuerit de aliquo Festo semiduplici, vel de die infra octavam non privilegiatam. Non fit commem. Simplicis occurrentis nec de die Octava simplici.

In secundis Vesperis fit commemoratio de quolibet Officio, etiam de Officio ad modum Simplicis redacto non autem de die infra Octavam non privilegiatam, etiam si de ea fiat Officium, nec de Officio simplici vel die Octava simplici, vel de S. Maria in Sabbato. —Pro Commemoratione sequentis diei infra Octavam privilegiatam, quando de ea fit Officium, sumuntur Antiphona et Versus e I Vesperis Festi, nisi habeantur propria per singulos dies infra Octavam, aut specialiter per totam Octavam assignata, aut denique nisi extra diem festum sint incongrua.

Leges peculiares quibus ordinantur Vesperæ infra Octavam Nativitatis Dni suo loco in novo breviario habentur.

489.—Quando infra aliquam Octavam communem occurrit Officium duplex majus aut minus vel semiduplex, in Vesperis ad commemorationem octavæ Antiphona et Versus sumuntur e II Vesperis Festi; attamen, si die sequenti Officium fiat de die infra octavam, Ant. et ℣ e I Vesperis adhibentur.

Præterea notandum.

Quando dies Octava in aliquo Festo vel in Dominica occurrenti debeat commemorari, si die præcedenti celebratum fuerit aliquod Festum Duplex

majus vel minus, aut Semiduplex, in Vesperis pro Commemoratione diei Octavæ, nisi propria habeantur, sumuntur Antiphona et Versus e I Vesperis Festi; quodsi die præcedenti actum fuerit Officium de die VII infra Octavam, tunc in Vesperis fit commem ipsius die VII infra Octavam per Antiphonam et Versum e II Vesperis Festi, nil vero de die Octava.

En exemplum:

Quando dies 8 Nov., oct. Oium Sanctorum incidat in Dominica, et commem. fit diei octavæ in officio Dominicæ, in I Vesp. Dom. commemor. Omn. Sanct. fit e II Vesp., utpote Officii diei VII infra Octavam.

490.—De Officio feriali—Feriis majoribus (Adventus et Quadrag.) exceptis—concurrenti cum quocunque festo nulla fit commemoratio; de Festo simplici fit commemoratio in primis Vesperis, nisi concurrat cum Duplici I vel II classis.

De Hymnis.

Conf. *Rubr. nov. Brev.* Tit. VIII. 1.

Quoad HYMNOS notanda sunt:

491.—Ultima stropha seu Doxologia hymnorum, quæ pluribus Officiis Domini et B. Mariæ Virg. (non autem aliorum Sanctorum)(1) propria est, e. g. *Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*, dicitur in omnibus hymnis per Horas, qui sunt ejusdem metri. Dicenda est a primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, dummodo commemora-

(1) S. R. C. 2983. 51.

tio saltem fiat talis festi, etiam quando ob identitatem mysterii commemoratio omittenda sit. Et, si festum duplex I classis habeat octavam, dicenda est per totam octavam, nisi forte aliqua conclusio occurrat propria festo, quod infra octavam celebratur— De octavis festorum II classis vide n. 473, *b*.

NOTANDA.

Quando in Dominica occurrit Festum Beatæ Virginis simplificatum, de quo fit commemoratio, conclusiones Hymnorum et ℣ Resp. brevis ad Primam erunt de ipsa Beata Virgine, nisi dicenda sit propria, et exceptis Dominicis Adventus. S. R. C. 30 Dec. 1911.

Quodsi duo officia occurrant cum hymnis propriam conclusionem habentibus, doxologia illius Officii dicitur ad Completorium, de quo Vesperæ integræ vel a capitulo fiunt.

Excipiuntur hymni qui propriam conclusionem habent, e. g. *Vexilla Regis*, hymnus ad Matut. plurimorum Martyrum, S. Venantii et alii, ut in noviss. edit. Breviarii notatur.

492.—In hymno *Iste Confessor* dicendum est *Meruit beatas* ad primas Vesperas, et eodem modo ad Matutinum et Vesperas secundas, si festum alicujus S. Confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem sive per accidens, sive perpetuo transferatur. S. R. C. 4033. Ista regula servanda est, dummodo Vesperæ Confessoris fiant saltem a Capitulo. Cf. Van der St. I, q. 199. 2 *a*.—In Breviario, si mutatio fiat, nota apposita est *m. t. v.*, scil. *mutatur tertius versiculus*.

Si festum S. Confessoris habens Octavam non

ultra illam transferatur non mutatur *Meruit beatas.* S. R. C. 2365 ad 3.

493.—Doxologia *Dei Patri sit gloria—Et filio qui a mortuis—Surrexit ac Paraclito—In sæculorum sæcula* ita est censenda Hymno *Veni Creator* propria, ut eadem semper sit retinenda ac nunquam, quovis anni tempore vel quocunque occurrente Festo, in aliam mutanda. S. R. C. 4036.

494.—"Hymnus Vesperarum, quando in Vesperis non dicitur, conjungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi; nisi aliter cautum sit in ipsa Rubrica speciali Breviarii Romani." S. R. C. 3844 ad III. In hac re servandæ sunt regulæ speciales, quæ in novissimis edit. Brev. habentur.

De Precibus.(1)

Preces distinguuntur inter Preces DOMINICALES seu minores, et Preces FERIALES.

495.—Preces Dominicales dicuntur ad Primam et Completorium in Dominicis, Festis semiduplicibus ac simplicibus, et in Officio feriali per annum ac Tempore Paschali.

Omittuntur autem in Officio duplici, infra Octavas et quando in Officio de Dominica facta fuerit commemoratio alicujus Festi duplicis simplificati.

Infra Octavam simplicem, ut alibi, n. 473, *a*, notatur, non omittuntur prædictæ Preces; omittuntur autem in ipsa die Octava, si de ipsa saltem fit commemoratio.

---

(1) Conf. *Rub. nov. Brev.* Tit. VIII. 3 et Ordinarii.

496.—Preces feriales vero dicuntur ad Laudes, Horas minores, Vesperas et Completorium; et in Choro dicendæ sunt flexis genibus, solo hebdomadario stante ad Orationem.

Dicuntur solummodo in Officio feriali tempore Adventus, Quadragesimæ a Fer. IV Cinerum usque ad Fer. IV Hebd. sanctæ inclusive, Feriis Quattuor Temporum mense Septembri, et in Vigiliis communibus, si de iis fiat Officium.—In Sabbatis autem in talibus Officiis ad Vesperas Preces feriales nunquam dicuntur, quia Vesperæ dicendæ sunt de Dominica. —Excipiuntur Vigiliæ Nativitatis Dni, Epiphaniæ, Ascensionis et Pentecostes, in quibus Preces non dicuntur.—Non omittuntur Preces feriales occurrente commemoratione Festi duplicis simplificati vel die infra Octavam. Rubr. nov. Tit. VIII, 3 et Brev.

De Suffragio Sanctorum *(per ann.)* et Commemoratione S. Crucis, *(temp. Pasch.)*

497.—Suffragium de omnibus Sanctis, quod habetur in Ordinario post Laudes et Vesperas, fit post Orationes præscriptas in Officio semiduplici et simplici, extra tempus Adventus, Passionis, Paschale.

Omittitur infra Octavas privilegiatas et communes (Conf. n. 472 et sq.) non vero infra Octavas simplices. Præterea omittitur in Officio de Dominica et de Feria IV Cinerum, si facta sit Commemoratio Duplicis simplificati.(1)

N. B.—In Vigilia Omnium Sanctorum, quando de

(1) Rubr. novi Psalt.—S. R. C. 24 Febr. 1912, ad I.

ea fit Officium, aut ejus commemoratio in Officio semiduplici, Suffragium omittitur. S. R. C. 22 Mart. 1912, II.

498.—In Oratione *A cunctis* hujus Suffragii ad litteram *N* exprimitur nomen Sancti Titularis propriæ Ecclesiæ, et nomina sanctorum Angelorum, et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph.—Speciales tituli B. Mariæ V. non memorantur.—In Ecclesiis habentibus pro titulo aliquod Domini Mysterium in Suffragio non fit mentio hujus Tituli.(1)—Nomen Sancti Fundatoris Ordinis a Regularibus in hac Oratione addi posse videtur ad normam decreti 3758. Cf. n. 138, 3.

499.—In Officio S. Mariæ in Sabbato adhibetur Suffragium proprium seu 2° loco, scil. Suffragium commune dempto nomine S, Mariæ.

500.—Tempore Paschali (i. e. feria II post Dom. in Albis usque ad Vigil. Ascens.) loco Suffragii fit **Commemoratio Crucis** quæ pariter omittitur in Officiis semiduplicibus et simplicibus infra Octavas (etiam Feria VI post Octavam Ascensionem) et quando facta sit Commemoratio alicujus Officii Duplicis in Dominica.

501.—Infra Octavas simplices Suffragium et Commem. de Cruce dicendum est. in die autem Octava simplici non dicitur, si de ea fiat Officium vel saltem Commemoratio. Conf. n. 473 *a*.

(1) S. R. C. 22 Mart. 1912. ad I.

De Officio Defunctorum.

N. B.—Quæ sequuntur inveniuntur in Rubricis novi Breviarii.

502.—Officium Defunctorum in choro recitari vel cantari licet omnibus diebus quibus Missa de Requie permittitur, excepto Triduo sacro et ubi Ss. Sacramentum publice expositum est. S. R. C. 3479, 2,—Hisce diebus, si dies obitus occurrat, Officium si recitandum est, privatim recitari debet.

503.—Notanda generalia.

1. Per annum, i. e. extra Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum, Officium Defunctorum recitatur, ut in fine Breviarii habetur (omissis ad Laudes Psalmis 66, 148 et 149, qui in veteribus editionibus inveniuntur.)

2. Antiphonæ duplicantur in Commemoratione Omnium Defunctorum, in die depositionis, etiam absente corpore, et die post acceptum nuntium mortis, die 3, 7, 30 et anniversario, etiam late sumpto, etsi unum tantum Nocturnum dicatur.

3. Ante Vesperas Defunctorum præmitti debent *Pater* et *Ave*, item ante Matutinum Defunctorum *Pater*, *Ave* et *Credo*, quando Vesperæ vel Matutinum separatim ab Officio divino, (i. e. diei), recitantur. S. R. C. 25 Oct. 1912.

Præterea observandum est, si Laudes a Matutino separantur:

In Commem. omnium Fidelium Defunctorum post IX responsorium dicitur: ℣ *Dominus vobiscum* etc. cum Oratione *Fidelium Deus* etc. ℣ *Requiem æternam* etc. ℣ *Requiescant in pace*, etc. Generatim in Officio defunctorum si Matutinum, cum unico vel cum tribus Nocturnis in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum responsorium sub-

jungitur: ℣ *Dominus vobiscum* etc cum Oratione (seu Orationibus) ut ad Laudes, additis sequentibus: ℣ *Requiem æternam* etc. ℣ *Requiescant* etc.

Laudes, dictis secreto *Pater* et *Ave*, absolute inchoantur ab antiph. *Exsultabunt Domino.* S. R. C. 24 Jul. 1912.

4. Invitatorium dicitur semper in Officio Defunctorum, quando persolvitur cum tribus Nocturnis, etiam sub ritu semiduplici, aut cum unico quidem Nocturno, sed sub ritu duplici. In reliquis vero casibus omittitur.

Nocturni, præterquam in die Commemor. omnium Fidelium Defunctorum, omnes dici possunt vel unus tantum, ita tamen, ut extra diem depositionis (in qua semper dicitur primus Nocturnus,) Dominica, Feria II et V dicatur primus, Feria III et VI secundus, et Feria IV et Sabbato tertius Nocturnus.—Cf. *Mutationes in Brev.* 1913. Nocturnus debet respondere Feriæ qua canitur Missa (S. R. C. 3764, 5 et 6; 4095, 2.)

Psalmus *Lauda anima* in fine Vesperarum et Ps. *De profundis* post Laudes omittitur quandocunque Officium recitatur sub ritu duplici.

6. Si officium pro uno persolvitur, versiculi, qui Orationem immediate præcedunt, in singulari dicuntur. Post Orationem semper dicitur in plurali *Requiem æternam dona eis.*

Quoad ORATIONEM observanda sunt sequentia:

504.—*a.*) Die depositionis Sacerdotis corpore vel physice vel moraliter præsente: *Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum* etc., ut in Rit. Rom. Tit. VI, cap. 3, n. 5. vel dicatur Oratio Sacerdoti conveniens.

b.) Post absolutionem: *Deus, cui proprium est . . . pro anima famuli tui* N. *Sacerdotis, quam* etc. Ib. n. 10.

c.) Absente corpore: *Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui,* N. *Sacerdotis, ut defunctus* etc. vel dicatur Oratio, quæ dicta est in Missa, vel alia conveniens. Ibid. cap. 5, n. 2.

d.) In Missa pro defuncto sacerdote semper dicenda est Oratio *Deus qui inter Apostolicos sacerdotes*, pro altioribus dignitatibus, ut notatur n. 307-309. S. R. C. 2417, 8.

e.) GENERATIM NOTANDUM: In Oratione pro uno defuncto vel una defuncta in quovis casu nomen defuncti vel defunctæ addi debet, juxta Rubr. recent. Brev.

De Vesperis solemnibus.

505.—"Licitum est in ecclesiis, ubi non adest obligatio chori, ad devotionem populi Vesperas de alio Officio e. g. de B. Maria V. vel de Ss. Sacramento, cantare, dummodo ii qui ad Horas Canonicas tenentur, privatim recitent illas de Officio occurrente." S. R. C. 3624 ad 12.

N. B.—Non licet in cantandis Vesperis aliquot versus vel unum alterumve psalmum omittere. S. R. C. 3539, 3.

506.—1. Licet sumere amictum et stolam (ad Vesperas), *si ante Vesperas fiat expositio* Ss. Sacramenti et benedictio immediate sequatur. 3593 ad 2.

2. Ad Vesperas solemnes, si Pluvialistæ Celebranti assistunt, incongruum est, ut munus sacrorum Ministrorum, e. g. Diaconi, ab istis peragatur:

quare, si Ss. Sacramentum, sive ab initios, sive statim post Vesperas, exponendum est, non erit Pluvialistarum, Diaconi more, Ss. Sacramentum e tabernaculo extrahere etc., sed id ab alio sacerdote fiat, qui imposita sibi stola, Celebrante et Pluvialistis genufiectentibus, ad altare ascendet, Ss. Sacramentum extrahet et in Altari deponet.

NOTANDUM.

Pro assistentia in Vesperis adhiberi nequeunt ministri dalmatica et tunicella induti (S. R. C. 1194). Similiter, cum cantantur Vesperæ coram Sanctissimo exposito, Celebrans nequit a principio albam et stolam et pluviale induere, nec possunt ei diaconus et subdiaconus dalmaticis induti assistere, etsi processio immediate post Vesperas instituenda sit. Idque etiam vetitum est in Quadragesima, quando Vesperæ immediate cantantur post Missam solemnem. (S. R. C. 4271, 3 et 4.)

INCENSATIO.

507.—1. Ad intonationem *Magnificat* Celebrans se signat cruce et accedit ad Altare ad incensationem. Wapelh. h. 259, 5.

2. In festis solemnioribus Sanctorum in Vesperis Imagines eorum hinc et inde juxta Altare collocatæ "duplici ductu" incensari possunt. S. R. C. 4044 ad III.

3. Celebrans omittit incensationem, si pluviali non sit indutus. S. R. C. 3844, 2.

4. Dum altare incensat Celebrans recitet *Magnificat* juxta laudabilem consuetudinem. Wapelh. 259, 6.

508.—Quando Vesperæ cantantur coram Ss. Sacramento exposito, Orationi non addenda est com-

memoratio Ss. Sacramenti nisi Officium requirat, nec omittendus est ℣ *Fidelium animæ.* S. R. C. 3086, 1.—Antiphona finalis B. Mariæ V. "laudabiliter" dicenda est. S. R. C. 3574 ad 1.

509.—Quando Celebrans ad Vesperas coram Ss. Sacramento exposito Officium facit ad scamnum, quum accedit ad Altare ad *Magnificat*, utroque genu super infimum gradum genuflectere debet. S. R. C. Bajonen. 8 Junii 1911 ad 4. Acta S. Sedis.

DE TEMPORIBUS ANNI.

De Dominica.

De **privilegiis** *Dominicarum diversi ordinis, et de Festis, quæ in ipsis celebrari possint, sermo est* nn. 464, 465 et 466.

510.—In Missa de Dominica generatim dicendæ sunt tres Orationes pro diversitate temporis anni, ut suis locis exponitur.

Infra Octavas autem, et quando commemoratio facienda est de aliquo Festo duplici simplificato, tertia Oratio non est addenda, nisi facienda sit commemoratio alicujus festi simplicis. Cf. n. 134, 2.

511.—*Gloria* semper dicitur exceptis Dominicis Adventus et Quadragesimæ. Cf. n. 132.

512.—*Credo* in quacunque Dominica dicendum est. Cf. n. 165, *a.*—Dicitur etiam in Missa votiva celebrata in Dominica in colore violaceo. Cf. n. 166.

513.—*Præfatio* **de Trinitate** dicenda est in Missa de Dominica, etiam infra octavas Sanctorum, nisi occurrat Præfatio propria de Tempore vel Octavæ alicujus Festi Domini. Cf. n. 169.

Si Festum duplex II classis in Dominica incidat, et commemorandum sit Festum aliquod simplificatum, quod per se habeat Præfationem propriam, vel occurrat infra Octavam alicujus Sancti similiter propriam Præfationem habentem, legenda est Præfatio de Trinitate.

514.— DOMINCA **Reponenda.** — Quandocunque in aliqua Dominica minori occurrat Festum I vel II classis, aut Domini, ita ut impediatur Missa de Dominica, ista Missa dici debet in Feria quæ prima occurrit, in qua Officium feriale dicitur infra hebdomadam, neque permittuntur in tali feria Missæ votivæ vel defunctorum lectæ. Attamen in ista Missa non dicitur *Credo,* nec Præfatio de Trinitate. S. R. C. 6 Dec. 1912, I. Cf. *Ephem. Lit.* 28, p. 298, II.

515.—*Color paramentorum.* In Dominicis post octavam Epiphaniæ usque ad Septuag. et post Octavam Corporis Christi usque ad Adventum color viridis adbibetur etiam infra octavas, nisi fiat Officium festivum. Tit. X, 4. Cf. n. 110.

516.—**Aspersio** AQUÆ BENEDICTÆ.

Singulis Dominicis AQUÆ BENEDICTIO fit vel per Celebrantem ante Missam principalem, *in colore diei*, vel per alium in *colore violaceo.*

Deinde ante Missam fit *Aspersio fidelium*, per ipsum Celebrantem, non per alium. S. R. C. 926, 1; 1044; 2425 ad 11; 2684 ad 11; 3055.

Hæc aspersio de stricto præcepto est ante Missam conventualem in Ecclesiis Collegialibus, quæ canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive sine Ministris sacris. In ecclesiis non collegialibus aspersio fieri potest. S. R. C. 4051.

In Ecclesiis parochialibus juxta universalem consuetudinem pariter fiat ante Missam parochialem seu principalem, si celebratur cum cantu. Quodsi hæc Missa legitur tantum, Aspersio nulla lege præscripta est. Cf. Schober de Mis. sol. pag. 197.—Juxta De Herdt. (III, n. 133, in fine) aspersio non est omittenda.

NOTANDA:

517.—Pro benedictione aquæ sal adhiberi potest in hujusmodi functione jam exorcizatus et in hunc usum servatus. S. R. C. 2218 ad 3.—Sal hoc modo benedicta etiam ad alios pios usus adhiberi et fidelibus tradi licet V. d. St.

518.—Sacerdos in aspersione Aquæ benedictæ stolam deferat ante pectus ad modum crucis aptatam. S. R. C. 1637 ad 3.

519.—Dum Sacerdos ante Missam conventualem diebus Dominicis clerum populumque aspergit aqua benedicta, sufficit, ut cum Ministris psalmum *Miserere*, tempore autem paschali psalmum *Confitemini* recitet, quoadusque perdurat aspersio; si vero Sacerdos psalmum *Confitemini* memoriter nesciat, non propterea dicet Ps. *Miserere*, sed dumtaxat antiphonam *Vidi aquam* cum primo versu psalmi *Confitemini* et versu *Gloria Patri*, prout etiam in choro dicuntur. Cfr. Schober, *Cærem. Miss. solemn.*, art. VII. n. 11.

Rubrica Missalis quoad repetitionem Antiphonæ *Asperges me* vel *Vidi aquam* est præceptiva, et "Antiphona a celebrante et a cantoribus est repetenda." S. R. C. 3402 ad V et VI.

520.—Aspersio fieri debet discooperto capite. Rubricæ enim nusquam insinuant, sacerdotem caput cooperire debere. Cf. De Herdt, III. n. 133.

521.—In Dominicis aspersio populi cum aqua benedicta facienda est a Sacerdos *ad cancellos presbyterii.* 3621 ad IV.—Servanda tamen est consuetudo, ubi exsistit, ut Sacerdos ante Missam conventualem gradiatur per Ecclesiam, incipens a parte Epistolæ et rediens per partem Evangelii, interim aspergens populum aqua benedicta. S. R. C. 3114 ad 2.—Celebrans ad altare revertens genuflectit in infimo gradu altaris. S. R. C. n. 4198, III.

522.—Celebrans non debet offerre aquam benedictam Diacono et Subdiacono, manu eorum aspersorio capiendam, sed ipsos (genuflexos) aspergere. S. R. C. 2013, ad 2.

523—Exposito Ss. Sacramento omittitur tantum aspersio Altaris, non autem populi. S. R. C. 3639 ad II.

524.—Ante Missam pontificalem Episcopus ingrediens facit aspersionem, quæ sufficit, quin iterum populum aspergat more præscripto. Cær. Episc. Lib. II cap. XXXI.

Tempus Adventus.

525.—Quoad Officium generatim notanda sunt:

1. A primis Vesperis Dominicæ I Adventus usque ad primum Officium semiduplex vel simplex post

Octavam Epiphaniæ omittitur Sufragium Sanctorum ad Vesperas et Laudes. Conf. n. 497.

2. De Feriis Adventus fit Commemoratio quacunque festo occurrente, *sine* 9 Lectione et ultimo Evangelio. Oratio sumitur e Dominica præcedente, exceptis Quattuor Temporibus, quibus propria Missa assignata est, ideoque hisce diebus 9 Lectio de feria legenda est et ultimum Evangelium in Missa.

N. B.—Quoad Octavas prohibitas, vide n. 472, *Præmonitum.*

526.—Quoad Officium Dominicale:

Ad utrasque Vesperas adhibentur Antiphonæ de Laudibus respectivæ Dominicæ.

Ad Matutinum habentur Antiphonæ propriæ in Psalterio.

Ad Laudes sumitur schema I.

Ad Horas sumuntur Antiphonæ de Laudibus.

Ad Primam dicuntur Psalmi *Confitemini, Beati Retribue* sine symbolo *Quicunque.*

527.—Quoad Officium feriale:

Ad Vesperas Antiphonæ et Psalmi de Psalterio.

Ad Matutinum Fer. IV in tertio Noct. Ant. et Psalmi dicuntur de II loco.

Ad Laudes adhibetur schema II, cum Psalmis per annum et preces feriales.—A 17 Decembris usque ad Vigiliam Nativitatis Dni habentur, pro singulis diebus, Antiphonæ propriæ ad Laudes et Horas.

Ad Horas Antiph. sumuntur de Laud. Dominicæ præcedentis, (usq. ad 17 Dec.), reliqua de Psalterio et Ordinario, et dicuntur preces feriales.

Ad Primam additur quarto loco primus Psalmus schematis I Laudum.

528.—Quoad Missam notanda sunt:

1. Tempore Adventus in Missa de tempore secunda Oratio dicitur B. M. V.: *Deus qui de beatæ*, tertia Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.—In Dominica, si occurrat commemoratio alicujus Festi dupl. simplificati vel octava, tertia Oratio omittitur. In Feria, si occurreret commem. simplicis, tertia Oratio diceretur de B. M. V. (Talis casus in præsenti Calendario nunquam occurrit.)

2. In Dominicis et feriis Adventus *ad Missam et Vesperas*, si fiunt de tempore, *non pulsentur organa* nec ornentur altaria floribus neque statuis neque reliquiis Sanctorum. In Missa utuntur Ministri planetis plicatis. S. R. C. 2959 ad 1. Si planetæ plicatæ desint Ministri albis utantur absque dalmaticis. In Dominica III Adventus color rosaceus paramentorum adhiberi potest, Ministri utuntur dalmaticis etc., organa pulsanda et altaria floribus ornanda sunt.

In Vigilia Nativitatis Dni altaria floribus ornari licet. Conf. Martin. *Man. Cær.* II Cap. XII et Buchauer, *Ordo perp.* pag. 59.

N. B. — In Missis Feriarum Adventus omnes in choro genuflectere debent, dicto per Celebrantem *Sanctus* "usque ad *Pax Domini* inclusive." S. R. C. 3624 ad x.

529.—In nonnullis Ecclesiis ad excitandam Christifidelium devotionem erga Divinum Redemptorem introducta est pia consuetudo singulis diebus temporis Adventus celebrandi Missam votivam cantatam B. M. V. *Rorate*, quæ prima est ex Missis vot. B. M. V.—Ista Missa nullo privilegio gaudet; dicitur sine *Gloria*, excepto die Sabbati, et sine *Credo*.—Infra

octavam Immaculatæ Concept. dicenda est Missa de ipsa Octava. S. R. C. 2378 ad 7 et 8; 2417 ad 5; 3583 ad 3. Cs. Miss. vot. de B. M. V. n. 197.

530.—A prima Dominica Adventus usque ad festum Epiphaniæ inclusive solemnis benedictio nuptiarum et Missa pro Sponso et Sponsa prohibentur. Conf. n. 752.

Vigilia, Festum et Octava Nativitatis Dni.

531.—Generatim notanda.

Hæc Vigilia est privilegiata I classis. Cf. n. 474, 3.

A Vigilia usque ad octavam Nativitatis Domini inclusive prohibentur Missæ votivæ et de Requie privatæ. Missæ exsequiales permittuntur, excepto die Nativitatis. — Pro Confratre defuncto in loco dissito, cujus nuntius accipitur, *Requiem* cantari nequit in Vigilia Nativitatis. Permittitur autem infra octavam Nativitatis, exc. dupl. 2 cl. Cf. n. 298.

532.—Quoad Officium hujus **Vigiliæ.**

In Vigilia, nisi venerit in Dominica, ad Matutinum habetur Invitatorium proprium, Psalmi cum Antiphonis sunt de Feria occurrente, Versus et Lectiones propria. Ad Laudes ac deinceps Officium fit duplex juxta ordinem festorum solemniorum.

Sin autem Vigilia venerit in Dominica IV Adventus, ad Matutinum Invitatorium proprium, reliqua usque ad Versum III Nocturni dicuntur de ipsa Dominica, Versus et Lectiones 3 Nocturni de Vigilia. *Te Deum* non dicitur. Ad Laudes Officium fit duplex, ut supra. Commemoratio Dominicæ fit in Laudibus.

533.—Quoad Missam **Vigiliæ.**

In Missa unica Oratio dicitur, nisi Vigilia cadat in Dominica, tunc addenda est commemoratio Dominicæ cum propria conclusione, sed non legitur de ea ultimum Evangelium. Omittenda est Collecta imperata.

Quodsi Collecta præscripta pro *re gravi*, servandum est Decr. 23 Dec. 1914, vide n. 162.

534.—In **Festo Nativitatis Dni** Sacerdotes tres Missas celebrare possunt. In prima et secunda Missa sacerdos diligentius sumet S. Sanguinem, curabitque, ut nihil maneat adhærens extremitati labii calicis, caveatque ne sive os, sive calicem purificatorio extergat. Omissa calicis purificatione, patena calicem et palla patenam tegens, et super corporale relinquens, sacerdos dicit manibus junctis *Quod ore* et *Corpus tuum.* Post digitorum ablutionem, quæ fit, non in calice, sed in alio vase mundo, in quo aqua fuit prius infusa, ad hunc finem in altari posito; sacerdos in ultima Missa post sumptionem primæ purificationis supradictam ablutionem vel in calicem immittit et sumit, vel (post Missam) in sacrarium infundit; deinde facit solitam digitorum ablutionem in calice; et exterso calice extergit etiam purificatorio vas in quo fuit ablutio. Calix nondum purificatus non extra corporale ponatur, nisi supposita palla, ad infusionem vini et aquæ ante offertorium. S. Sanguis autem sumatur semper ex eadem parte calicis.

Si non omnes tres Missæ successive dicantur, calix post communionem debet vel relinqui in altari super corporali extenso, vel deferri sine purificatorio ad credentiam, de more, ubi supposita saltem palla,

decenter servabitur usque ad secundam et tertiam Missam; vel certe in sacristiam deferatur, ubi, supposita corporali vel palla, in loco aliquo decenti et clauso servabitur usque ad sequentem Missam celebrandam.

In tribus Missis Celebrans post sumptionem S. Sanguinis eundo et redeundo ad medium Altaris non genuflectit, et ad *Dominus vobiscum* et ad dandam Benedictionem vertit se more solito, quamvis species vini in calice nondum sint exsiccatæ. S. R. C. 1772,7.

535.—In qualibet Missa solemni hac die ad verba *Et incarnatus* usque ad *homo factus est*, dum in choro cantantur, Celebrans et Ministri genua flectunt.

536.—Prohibitum est in sacra nocte Natalis Dni præter primam Missam alias duas Missas successive celebrare et sacram Communionem ministrare fidelibus. S. R. C. 752 et 781. Sancta Ap. Sedes tamen indulsit, ut in Oratoriis semipublicis et privatis Monasteriorum sacrarum Virginum aliorumque Institutorum religiosorum et Seminariorum clericorum, ubi Ss. Eucharistia asservatur, *januis clausis*, non modo tres Missæ successive celebrari, sed etiam S. Communio ministrari possit.—Quod Indultum extendi non potest ad Ecclesias et Oratoria publica Religiosorum, quæ fidelibus patent. 1 Aug. 1907, S. C. S. O. 26 Nov. 1908. *Acta Ap. Sed.* I, p. 146.

Aliæ facultates, quibus Ordinarii gaudent, ad respectivas Diœceses spectant.

537.—Qui in Nativitate Dni unam vel duas tantum Missas celebrat, dicat Missam vel Missas, quæ respondent circiter horæ juxta Rubricas peculiares hujus diei. S. R. C, 3354.

538.—Sacra Imago Divini Infantis, Nativitatis tempore, principe loco super Altari exposita, post Crucem thurificanda est triplici ductu, eodem prorsus modo quo incensatur Crux cum Imagine Crucifixi. S. R. C. 3288.

539.—*Jejunium Celebrantis.* Sacerdos prope mediam noctem primum Missæ sacrum faciens, per sex circiter horas debet esse jejunus, non quidem de præcepto, sed ex convenientia. (*Gavant.*)

540.—In festo Ss. Innocentium flores super altare permittuntur, quum non sit dies pœnitentialis, quapropter etiam dalmatica et tunicella in Missa solemni adhibendæ sunt. Appeltern et alii. Si hac Festum celebretur sub ritu duplici I classis tamquam Titulare, et si quando celebretur more votivo color ruber adhibendus est.

541.—Ubi S. Silvester Conf. Pont. est Patronus vel Titularis, II Vesp. dicendæ sunt de Nativitate, a Capitulo de S. Silvestro, et cum commem. Nativ. e I Vesp. Circumcis. S. R. C. 4269 ad V.

542.—In Officiis infra Octavam Nativitatis, quæ ordinantur ad normam novissimorum Decretorum, non fit commemoratio S. Stephani, S. Joannis, et Ss. Innocentium, nisi unum aliumve istorum festorum celebretur sub ritu duplici I classis.

In Dominica infra hanc Octavam, si occurrat in festo S. Thomæ M. Ep,, vel S. Silvestri, fit Officium de Dominica cum commemoratione festi occurrentis, in quo casu die 30 Decembris fit de die 6 infra Octavam, ut loco suo notatur.

Si Dominica occurrat in Festis S. Stephani, S. Joannis vel Ss. Innocentium Officium de hac Dominica fit 30 Decembri qua die propria.

Lectiones Epistolæ B. Pauli ad Romanos, hoc triduo (29, 30 et 31 Dec.) appositæ semper leguntur, in sua quæque die cum Respons. de Dominica infra octavam, sive fiat Officium de Sancto, sive de Dominica, sive de Octava Nativitatis.

In casu quo in aliqua die legendæ sint Lectiones I Noct. sive propriæ sive de Communi Festi (dup. I vel II classis) occurrentis, et Lectiones de Epist. ad Romanos eo die omittantur, Lectiones de Initio ejusdem Epistolæ, si eidem diei assignatæ sint, in sequentem diem transferri debent. Conf. Rubr. novi Brev. ad 29 Dec,

Dies intermedii a 2 usque ad 5 Januarii.

543.—Sequentia observanda sunt.

1. Festum **Ss. Nominis Jesu** ex Proprio Sanctorum translocatum est in Proprium de Tempore et Dominicæ inter Circumcisionem et Epiphaniam assignatum. Sin vero a die 2-5 Januarii Dominica non occurrat, celebrandum est 2 Januarii, in quo casu in II Vesperis Circumcisionis non fit commem. Ss. Nominis. Die 2 Januarii fit in hoc casu Commemoratio Octavæ simplicis S. Stephani. Si autem Festum Ss. Nominis celebretur die 5 Januarii, Vesperæ dicuntur de Epiphaniæ cum commemoratione Ss. Nominis.

2. Sicubi in ipsa Dominica, quæ die 2 vel 3 vel 4 occurrat, celebretur Festum quod Ssmo Nomini Jesu præferri debeat et non sit festum Domini, in eo, dummodo nulla facienda sit commemoratio de ipso Domino, fit commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa per Antiph., Vers. et Orat. de Dominica infra oct. Nativ.

3. In sequentibus Officiis simplicibus Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus unici Nocturni

dicuntur de Feria occurrenti, ut in Psalterio: reliqua ut die Festi, præter Lectiones.

4. Nisi occurrat Dominica, ut supra exponitur, fit Officium simplex, scil.

Die 2 Januarii de Octava simplici S. Stephani cum Lectionibus noviter assignatis et Responsoriis e I Nocturno Vigiliæ Epiphaniæ, et Oratione propria;

Die 3 Januarii de Octava simplici Joannis cum Lectionibus noviter assignatis et Responsoriis e II Nocturno Vigiliæ Epiphaniæ;

Die 4 Januarii de Octava simplici Ss. Innocentium cum Lectionibus noviter assignatis et Responsoriis III Nocturni Vigiliæ Epiphaniæ, nisi supradicta Responsoria suo loco habeantur.

Vigilia, Festum et octava Epiphaniae.

544.—Hæc Vigilia est privilegiata II classis et juribus gaudet Dominicæ per annum.

A Vigilia usque ad diem octavam inclusive prohibentur Missæ Votivæ et de Requie privatæ. Conf. n. 228 et 303.

Permittuntur Missæ exsequiales cantatæ, excepto die Festo, etiam ubi festum non est de præcepto.

In Vigilia Epiphaniæ cantari non possunt Missæ de Requie in die 3, 7, 30 vel anniversario, neque pro defuncto in loco dissito, de cujus obitu nuntius accipitur, quia hæc Vigilia privilegiis Dominicæ gaudet. Conf. n. 297-305.

N. B.—Ea quæ ad Officium pertinent, in Proprio de Tempore inveniuntur.

545.—Quoad **Missam Vigiliæ:**

Utrum *Credo* extra diem Dominicam in Vigilia

Epiphaniæ (quia juxta novas Rubricas dignitati Dominicæ æquiparatur) dicendum an omittendum sit, determinari nequit donec novis Missalis Rubricis decernatur, interim veteri legi standum videtur omittendo *Credo*. Conf. *Ephem.* 28, pag. 560,

Octava Epiphaniæ est Octava privilegiata II ordinis, de qua vide n. 472, 2. *Quoad Orationem imperatam vide* n. 160 et 161.

546.—Missa pro Sponso et Sponsa prohibetur per totam octavam Epiphaniæ. Quum vero in Festo ipso Epiphaniæ tempus clausum finiatur, infra octavam Nuptiæ solemniter iniri possunt: scil. in Missa de Octava, addita quarto loco commemoratione pro sponsis (in die octava secundo loco), benedictio nupturientibus impertitur more solito. Conf. n. 752-753.

547.—Observandum.—In aquæ benedictione, quæ in Vigilia vel in Festo Epiphaniæ in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, alius ritus non est permittendus quam qui præscribitur a Rituali Romano ad faciendam aquam benedictam. S. R. C. 3730; 3792, ad XV,

Tempus intermedium

ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Septuagesimæ.

548.—1. In **Dominica**, si de ea agatur, Officium persolvitur, ut n. 467 exponitur. — Antiphona ad *Magnificat* in Sabbato seu I Vesp. Dom. habetur in Psalterio.

De Missa conf. n. 510-515. 2 Oratio dicitur de B. Maria *Deus qui salutis*, 3 Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa; post 2 Februarii autem 2 Oratio *A cunctis*, 3 Oratio ad libitum. Occurrente autem commemora-

tione festi duplicis simplificati vel Octavæ omittenda est 3 Oratio, nisi facienda sit commem. simplicis.

2. In **Feriis**, si de tali agatur, Officium fit, ut n. 470 exponitur.

Missa legitur de Dominica præcedenti sine *Gloria* et sine *Credo*, cum Orationibus ut in Dominica, Præfatione communi et *Benedicamus Domino.*— Color adhibetur *viridis.*

3. Post Octavam Epiphaniæ Suffragium dicendum est ad Vesperas et Laudes, ut exponitur n. 497-499.

4. In Festis, quæ non sunt duplicia, in Missa 2 et 3 Orationes dicuntur, ut supra in Dominica.

De Dominica anticipata.(1)

549.—Si Dominica aliqua ante Dom. Septuag. supersit neque locus sit ante ultimam Dominicam post Pentecosten, talis Dominica anticipanda est in Sabbato ante Dom. Septuag. Quodsi Sabbatum impediatur Festo duplici I vel II classis, Dominica anticipatur in Feria proximiori ante Sabbatum non similiter impedita.—Dominica anticipanda gaudet omnibus juribus Dominicæ tam in occurrentia, quam in concurrentia. Ideo

1. **Officium** sic ordinatur:

I Vesperæ, nisi concurrant cum festo duplici I vel II classis, dicuntur ritu semiduplici de Dominica, scil. omnia de Feria VI præter Orationem, quæ est de Dominica anticipanda; Completorium pariter de eadem Feria. Nisi commemoratio facienda sit de aliquo Festo duplici vel Octava, in Vesperis dicitur Suffragium, et ad Completorium preces.

---

(1) S. R. C. 28 Oct. 1913 I, 3.

Ad Matutinum omnia de Sabbato e Psalterio sumuntur; Lectiones I Noct. sunt de ipsa Dominica et, si infra sequentem hebdomadem alia *Initia* leguntur, ista II et III Lectionibus substituuntur.—Lectiones II et III Nocturni sunt de eadem Dominica, item Responsoria post omnes Lectiones. *Te Deum* dicitur.

Ad Laudes omnia sunt de Sabbato, præter Antiphonam ad *Benedictus* et orationem, quæ dicuntur de eadem Dominica. Suffragium dicitur, nisi occurrat commem. officii duplicis vel octavæ.

Ad Primam omnia sunt de Sabbato, Capitulum *Regi sæculorum*, Preces dominicales dicuntur, nisi occurrat com. dup. vel oct.

Ad ceteras Horas omnia sunt de Sabbato excepta Oratione de Dominica.—

Quum Vesperæ dicendæ sint de Dominica Septuagesimæ non fit ulla commemoratio Dominicæ anticipatæ, neque si quando, ob occurrentiam alicujus Festi duplicis I classis, de Dom. Septuag. fiat tantum commemoratio.

2. In **Missa** de Dominica anticipanda dicitur *Gloria*, 2 Oratio *Deus qui de beata*, 3 Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, nisi ob occurrentem commem. festi duplicis vel octavæ duæ tantum Orationes dicendæ sint. Dicitur *Credo* et Præfatio de Trinitate.

Dominica Septuag., Sexag. et Quinquagesimae.

De his Dominicis confer n. 465.

550.—Notanda quoad **Officium** de Dominica:

a.) Ad Matutinum habetur Invitatorium proprium; non dicitur *Te Deum*, sed nonum Responsorium.

b.) Laudes dicuntur juxta schema II cum Antiphonis propriis e Proprio Temporis.

c.) Ad Primam ceterasque Horas propriæ assignantur Antiph. Ad Primam dicuntur Psalmi *Dominus regnav.*, *Jubilate*, *Beati immac.*, *Retribue* sine Symbolo *Quicunque.* Reliqua juxta n. 467.

d.) Supradictæ regulæ quoad Officium valent pro omnibus Dominicis usque ad Pascha.

Notandum:—occurrente in aliqua Dominica supra memorata Festo duplici I classis, Lectiones de Scriptura ex Dominica reponendæ sunt infra hanc Hebdomadem cum suis Responsoriis. S. R. C. 4028.

551.—In Officio feriali hoc tempore, i. e. usque ad Feriam IV Cinerum ad Laudes adhibetur schema II. Item Feria IV tres ultimi Psalmi ad Matut. e loco II sumuntur. Ad Primam additur primus Psalmus e I Laud.. *Non* dicuntur Preces *feriales*, sed dominicales tantum ad Primam et Completorium. Reliqua juxta n. 468-470 ordinantur.

552.—Notanda quoad Missam.

1. In Missa de Dominica omittitur *Gloria*, Orationes dicuntur, ut supra, n. 548, 1, notatur.—Quodsi Dom. Septuag. occurrat ante 2 Febr. pro Secreta B. M. V. *Muneribus*, sumenda est *Tua Dne* e Mis. votiva B. M. V.—Dicitur *Benedicamus Dno*, et adhibetur color *violaceus.*

2. In omnibus Dominicis a Dom. Septuag. usque ad Dom. in Albis omittenda est Oratio imperata, si alicubi præscripta sit, nisi sit *pro re gravi.* Cf. n. 162.

3. In Missa Feriali, quæ resumitur de Dominica præcedenti cum iisdem Orationibus, omittitur *Credo*, adhibetur color *violaceus.*

4. In omnibus Missis, post Graduale omittuntur duo *Alleluja* cum Versiculo sequenti, et dicitur Tractus, qui si desit, sumitur de tali Communi.

553.—In Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ ex Altari tolluntur vasa florea, reliquiaria seu statuæ Sanctorum. Attamen in Missa atque officio sonantur organa, et sacri Ministri induuntur dalmatica et tunicella. Martinucci *Manuale Cæremon.* lib. II. cap. 19. S. R. C. 2365 ad 4.—Quodsi in aliqua ecclesia devotio Quadrag. Horarum peragitur, altare expositionis de more exornatur.

554.—NOTANDUM.

In Dominica Sexag. occurrente festo Conversionis S. Pauli, Ap., de eo commem. fieri debet, quamvis hujus Apostoli mentio fiat in Oratione Dominicæ. S. R. C. 7 Aug. 1914, I.

Tempus Quadragesimale et Passionis.

555.—FERIA **Quarta Cinerum.**

1. Ab hac die usque ad Dominicam in Albis inclusive solemnis benedictio Nuptiarum prohibetur. Cf. art. *De Matrimonio*.

2. Hodie prohibentur Missæ votivæ et de Requie præter exsequialem. In ecclesiis parochialibus tamen, ubi unus est sacerdos Missa exsequialis prohibetur. S. R. C. 4076, 2.

556.—Quoad **Officium**: Ab hac Feria usq. ad Nonam Sab. seq. incl. Officium feriale persolvitur, ut per duas præcedentes hebdomades, additis Precibus ferialibus, quæ hodie *non omittuntur*, etiam si occurrat commem. festi dup. simplificati. Cf. n. 496. In hoc eodem casu Suffragium *non* dicitur. Cf. 497. S. R. C. 24 Febr. 1912.

557.—Hodie benedicuntur et distribuuntur cineres. Benedictio fit in cornu Epistolæ et junctis manibus. Summo mane benedici possunt, in quo casu omnia legenda sunt, quæ habentur in Missali; sed ante Missam solemnem novi cineres benedici debent. Dignior de Clero, a quo Celebrans cineres accepturus est, ad altare accedit *sine stola;* et genuflexus sicut alii recipit cineres a Celebrante.—*S.* R. C. 2148 ad 5. Absente alio Sacerdote, Celebrans, facta reverentia cruci, genuflectit super suppedaneo in medio, et sic genuflexus sibi ipsi cineres in modum crucis imponit in capite, nihil dicens. *Memor. Bened. XIII.* Sacerdos, qui præter Celebrantem distribuit cineres, utatur stola. Cf. De Herdt III, n. 23.

Tempore **Quadrag.** et **Passionis** generatim observanda sunt sequentia:

558.—Post Feriam IV Cinerum usque ad Domin. Palmarum in Festis occurrentibus de Feria facienda est Commemoratio in Vesperis, Laudibus et Missa, et legitur 9 Lectio de Homilia, et ultimum Evangelium de Feria in Missa.

559.—Toto Tempore Quadr. et Passion. PROHIBENTUR Missæ votivæ privatæ i. e. lectæ. Missæ autem privatæ Defunctorum celebrari tantum possunt prima die cujusvis hebdomadæ Officio duplici non impedita, excepta Hebdomada sancta, in qua tales Missæ omnino prohibentur. Cf. n. 229, *a*, 230 et 303, *e*.

560.—Si occurrat Festum duplex aut semiduplex infra hebdomadam, sacerdos legere POTEST Missam privatam de Feria cum commem. festi. Conf. n. 218 et 219.

561.—A Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis nullæ Octavæ celebrari possunt, nisi ex speciali privilegio. Tale privilegium autem omnino cessat in Dominicis et tota Hebdomada sancta S. R. C. 3826.

562.—A Feria IV Cinerum usque Fer. V in Cœna Dni, tum in Dominicis et Feriis, ad Missam et Officium, si fiunt de tempore, non pulsentur organa nec altaria ornentur floribus. Ministri sacri utuntur planetis plicatis pro dalmatica et tunicella. Dominica quarta (*Lætare*) excipitur, in qua altaria ornentur floribus, organa pulsentur et paramenta coloris rosacei permittuntur.

In ecclesiis minoribus et ubi planetæ plicatæ desunt sacri Ministri albis utantur sine dalmatica et tunicella.

Quoad **Officium** tempore Quadragesimali et Passionis notanda sunt:

563.—A primis Vesperis Dom. I Quadrag., exceptis diebus Dominicis, usque ad Sabbatum sanctum, in choro *de præcepto*, privatim *ad libitum*, Vesperæ recitandæ sunt ante meridiem.—Antiph. *Ave Regina* post Vesp. in Sabbato recitandum est stando. Idem valet de *Angelus Dni*. S. Ind. C. 20 Maji 1896.

564.—Officium tum dominicale, tum feriale persolvitur, ut n. 550 et 551 exponitur, assumptis *Invitatorio* ad Matutinum, *Hymnis* et *Versibus* ad Matutinum, Laudes et Vesperas, necnon *Capitulis* et *Responsoriis* ad Horas parvas, quæ sive in Proprio Temporis, sive in Ordinario tum pro tempore Quadragesimali (i. e. usque ad Dom. Pass.), tum pro tempore Passionis assignata sunt.—

Præterea *Preces feriales* (in choro flexis genibus)

dicendæ sunt ad Laudes, Vesperas, omnes Horas et Completorium. Conf. n. 496.

565.—Quoad **Missam** notanda sunt:

1. A Dominica I Quadragesimæ usque ad Dom. Palmarum omittitur *Gloria*, in Domínicis dicitur *Credo* et *Benedicamus Domino*.

2. In Missa FERIALI omittitur *Credo*, et dicitur post Postcomm. *Humiliate* cum sequenti Oratione.

3. Præfatio Quadragesimalis dicitur a Fer. IV Cinerum usque ad Dom. Passionis, et Præfatio Passionis a Dom. Pass. usq. ad Fer. V in Cœna Dni, tum in Missis de Tempore, tum in Missis festivis, nisi propria pro aliquo Festo assignatur. Cantus ferialis in Missis ferialibus tantum adhibendus est.

4. A Feria IV Cinerum usq. ad Dom. Passionis dicitur 2 Oratio *A cunctis*, 3 Oratio pro vivis et defunctis, ut indicantur in missali. Ubi autem in aliqua Dominica occurrat commem. alicujus Festi simplificati, omittitur 3 Oratio, nisi facienda sit commem. alicujus festi simplicis.

566.—Tempore **Passionis** SPECIATIM observanda:

Ante primas Vesperas (i. e. ante meridiem) Dominicæ Passionis velantur Cruces et imagines Sanctorum super altaria. (S. R. C. 1275 ad 2.)—Imagines Sanctorum in Sabbato Sancto ad *Gloria in excelsis Deo* deteguntur.

NOTANDA.

567.—*a.*) Velamina sint coloris violacei nec translucida, neque ulla figura, ne crucis quidem, intexta. *Martinucci* II. 21.

b.) Imagines quæ quattuordecim Viæ Crucis stationibus affigi solent, tempore Passionis non velatæ relinqui possunt. S. R. C. 3638 ad 2.

568.—*a.*) Tempore Passionis non licet detegere Imagines occurrente festo Titularis vel Dedicationis Ecclesiæ, vel S. Josephi. S. R. C. 926 ad 2 et 3; 3396.

b.) Quodsi ob devotionem erga S. Joseph mense Martio ejus effigies *extra altare* exposita est, num etiam tempore Passionis discooperta relinqui possit? S. R. C. (n. 3448 ad 11.) respondit: "tolerari posse."

569.—Quoad **Officium** notanda sunt:

1. A primis Vesperis Dominicæ Passionis omit. *Suffragium* usque post Tempus Paschale.

2. In Officio de Tempore Passionis (non autem de Festis) ad Completorium et Horas in Responsoriis non dicitur *Gloria Patri*, sed Responsorium repetitur, uti etiam *post ultimam Lectionem cujusvis Nocturni*.

Ad Stropham *O Crux ave* in hymno *Vexilla* in choro genua flectuntur per totam stropham.

Si Vesperæ feriales concurrant cum Vesp. alicujus festi, *Gloria Patri* in Respons. Completorii dicendum est.

570.—Quoad **Missam**:

1. In Missis de tempore (*non autem de Sanctis*) omittuntur Ps. *Judica* et *Gloria Patri* ad Introitum Missæ, ad *Lavabo* et ad *Asperges*, usque ad Sabbatum S. *exclusive*.

2. In Missis de tempore duæ *tantum* dicuntur Orationes, nisi *imperata* aliqua sit addenda, quæ 3° loco ponenda est.

In Missis de festis semiduplicibus autem tres dicuntur Orationes, scilicet: secundo loco commemoratio Feriæ occurrentis, tertia loco Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, nisi commem. simplicis occurrat.

Hebdomas Sancta.

OBSERVANDUM.

571.—A Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive Missæ votivæ privatæ et de Requie prohibentur præter Missam exsequialem, quæ tamen ipsa prohibetur Triduo sacro et Dominica Paschatis.

Dominica Palmarum.

572. — Observationes quoad **benedictionem Palmarum :**

1. Aspersio aquæ benedictæ fit ante benedictionem Palmarum.

Si Episcopus solemniter celebret, aspersio omittitur. S. R. C. 2089, 3. Cf. n. 276, 9.

2. Benedictio Palmarum fiat per Celebrantem Missæ. S. R. C. 1252; 2783 ad 2.

3. Ministri assumunt manipulos post Aspersionem aquæ benedictæ, eosque deponunt ante Processionem.

4. Processio est de præcepto. "Absque processione" vero celebratur benedictio Palmarum, si Ss. Sacramentum expositum sit. S. R. C. 2621 ad 9. Vide *De Herdt* Vol. III. n. 22. Conf. n. 414.

573.—In **Missa solemni.**

a.) Si Passio cantatur a tribus *propriis diaconis* indutis stola et manipulo coloris violacei, Celebrans Passionem legit in cornu Epistolæ usque ad eam partem, quæ in tono Evangelii cantanda est. Tunc ipse cum Ministris se vertit ad Diaconos cantantes Passionem.

NOTANDUM.

Celebrans dum ipse legit verba: *In nomine Jesu omne genu flectatur etc.,* et: *Emisit spiritum* (ac similia in aliis Missis), prosequatur, quin genuflectat, donec prædicta verba a Subdiacono vel Diacono cantentur, tunc genuflectat cum ceteris. S. R. C. 4057, 6.

Absoluto cantu Passionis usque ad partem, quæ in tono Evangelii cantanda est, Celebrans dicto *Munda cor* etc. et *Jube* sine *Dominus vobiscum* legit ultimum partem Passionis in cornu Evangelii. Tunc Diaconus Missæ petit benedictionem more solito et cantat absolute *Altera autem die* etc.—Acolythi sine luminibus adstant junctis manibus.

Tres Diaconi distincti a diaconis Missæ stola ordinaria ab humero dependente induti sint absque planetis. Qui Evangelistæ partem cantat (C) stat in medio, qui Christi (✠) ad illius dextram, qui Synagogæ (S) ad sinistram: omnes versus cornu Evangelii.

NOTANDA.

Possuntne ipsemet Celebrans exsequi in Passione partem Christi, et laici partes Chronistæ et Synagogæ? ℟ "Negative." S. R. C. 4031 ad III.

Eæ partes, "Synagogæ" vel "turbæ", in quibus *plures* personæ una loquentes introducuntur, juxta antiquam praxim Romanam, a choro Cantorum harmonice redactæ cantari possunt. (Wapelh.)

Permitti potest, ut in cantu Passionis Diaconus, qui repræsentat Synagogam, eas tantum sententias cantet quæ ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha,

Pilato etc.; sententiæ vero turbæ cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata. S. R. C. 4044 ad II.

b.) Si Celebrans, Diaconus et Subdiaconus (qui saltem sit in ordine Diaconatus) Missæ Passionem decantent, juxta S. R. C. 2740 ad II.—3804. 3. 4., Celebrans cantat *in cornu Evangelii*, quæ ✠ signata sunt, et quæ ab aliis cantantur, submissa voce legit; Diaconus cantat signata lit. *C*, Subdiaconus signata lit. *S*, (depositis planetis plicatis, si iis utantur) induti stola diaconali. Post Passionem Subdiaconus deponit stolam, Diaconus assumit stolam latiorem, si utatur planeta plicata.

574.—In Missa cantata, deficientibus diaconis, qui suam partem Passionis cantent, Celebrans Passionem legit in cornu Evangelii, sicut in Missa privata, usque ad eam partem, quæ in tono Evangelii cantanda est, quam ipse eodem modo, præmissis *Munda* et *Jube Dne*, de more cantabit, (S. R. C. 4031, 2.), sed nequit ipsemet exsequi partes Christi et laici partes chronistæ et Synagogæ, ib. ad 3.

575.—In Missa sive cantata, sive lecta, cui præcedit Benedictio Palmarum, ultimum Evangelium legitur *in principio*.—S. R. C. 2693 ad 3. Si autem hac die Missa cantanda sit absque benedictione Palmarum, recitandum est ultimum Evangelium, sicuti in Missis privatis.

OBSERVANDUM.

Modus peragendi functiones in Dom. Palm. et sacro Triduo absque ministris fuse describitur in opere Wapelhorst et aliis operibus minoribus.

Triduum Sacrum.

576.—Observationes generales.

1. Ante Matutinum Tenebrarum SS. Sacramentum ab altari majore amovetur, et ostiolum tabernaculi apertum relinquitur.

2. Ad Matutinum sex candelæ ceræ communis in altari accenduntur.

3. Officiator ad Matutinum non utitur stola.

NOTANDA.

In Lamentationibus Jeremiæ in Officio Tridui Sacri "Litteræ hebraicæ dicendæ sunt." S. R. C. 3642 ad 6.

Cantus Lamentationum, Responsoriorum, Psalmi *Miserere* et reliquarum partium liturgicarum non licet fieri simul cum sono organi aut aliorum instrumentorum. S. R. C. 3804 ad 2 et 4111.

In privata Officii recitatione, si Laudes separantur a Matutino, *Triduo sacro* post IX responsorium subjungitur Oratio *Respice quæsumus*, Laudes vero, dictis secreto *Pater* et *Ave*, absolute incipiuntur a prima antiphona.

577.—In ecclesiis, in quibus Ss. Sacramentum non asservatur, *non licet* functiones sacri Tridui peragere. S. R. C. 1120.

NOTANDA.

1. In minoribus Ecclesiis non parochial. ob defectum Ministrorum sive Paramentorum Officia Hebdomadæ Sanctæ juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII absque Indulto persolvi non possunt. S. R. C. 3390.

2. Episcopus potest permittere, ut functiones omn.

Hebdomadæ majoris fiant in Ecclesiis omnibus, in quibus Ss. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, licet renuente Parocho, cui eadem Ecclesiæ subjectæ sunt, "dummodo tamen horis diversis fiant sacræ functiones, ne fidelium concursus ad Ecclesiam parochialem impediatur." S. R. C. 3609 ad I.

578.—Si quando contingat, ut Missa exsequialis celebranda sit pro aliquo, e. g. feria quarta Hebdomadis sanctæ, defuncto, cujus sepultura facta est feria sexta in Parasceve Dni, ita ut Missa differatur oporteat ultra biduum ab obitu, ista Missa nonnisi post Dominicam in Albis prima die duplici I vel II classis non impedita celebrari potest. Cf. n. 239, d.—S. R. C. 24 Nov. 1905 ad 1.

579.—Transeuntes hoc Triduo ante Crucem altaris majoris unum genu flectunt, excepto Celebrante, qui tamen ipse genuflectit feria VI. post Crucis denudationem.

580.—Benedictio mensæ meridie hoc triduo fit ut in breviario notatur, ad refectionem vespertinam autem dicitur more solito: *Oremus. Benedic Dne* etc.

581.—Hoc Triduo sacro retinenda est consuetudo removendi aquam benedictam e vasis ecclesiæ. S. R. C. 2682 ad 54.

Feria quinta in Cœna Domini.

Observationes speciales.

582. — Etsi in quibusdam ecclesiis et oratoriis functiones feriæ VI in Parasceve et Sabbati S. peragi non valeant, nonnunquam tamen et sub certis conditionibus, (scil. speciali facta facultate),

feria V in Cœna Dni ibi Missa lecta celebrari licet.

583.—Si quando autem eveniat, ut Sacerdos, qui feria V in Cœna Dni Missam celebrare non poterat, ideo feria VI in Parasceve Functiones omittere debeat, Functiones tamen Sabbati Sancti, quæ non cohærent cum Missa in Cœna Dni, peragere potest.

584.—Ob occurrens festum quod feriationem annexam habet, aliqui Sacerdotes Missam privatam ante solemnem celebrare possunt, ut præceptum audiendi sacrum impleri possit. S. R. C. 1883. (Talis casus ob talium festorum reductionem nunc vix occurrit.)

585.—Ubi nulla functio Feria V. habetur, potest sacra Pyxis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulchri, ad Ss. Eucharistiam adorandam accedere valeant. Pro Altarium denudatione sufficit mappas seu tobaleas ita complicare, ut major pars mensæ nudata remaneat, quin ipsæ mappæ ab Altaribus amoveantur. S. R. C. 3842, 3 et 4.

586.—In Missa Feriæ V in Cœna Domini post intonationem *Gloria in excelsis* organa et campanæ pulsari possunt usque ad finem Hymni Angelici per cantores. S. R. C. 3515 ad 4.

587.—Denudanda sunt Altaria post Vesperas; quæ denudatio fieri licet a Sacerdote cotta et stola induto. S. R. C. 2684 ad 7; 2959 ad 3.

588.—Expositio Ss. Sacramenti in Cœna Domini juxta consuetudinem appellatur Sepulchrum. S. R. C. 2873 ad 2. Repræsentatur tam Sepultura Domini, quam institutio Ss. Sacramenti. S. R. C. 3939 ad 1.

589.—Non licet ad exornandum Altare, in quo Feria V et VI Majoris Hebdomadæ, publicæ adorationi exponitur et asservatur Ss. Eucharistiæ Sacramentum, adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimæ Virginis, S. Joannis Evang., S. Mariæ Magdalenæ et militum custodum, aliaque hujusmodi. "Poterant tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, hujusmodi repræsentationes tolerare: caveant autem ne novæ consuetudines hac in re introducantur." S. R. C. 3939 ad 2.

590.—Quoad SPECIALES **Rubricas** notanda sunt sequentia:

Ad Officium adhibetur *color violaceus.*

Crux altaris majoris, *in Missa tantum*, velo albo cooperitur.

In Missa, quæ in colore albo celebranda est, non dicitur Ps. *Judica*, nec *Gloria Patri* ad Introitum et *Lavabo.*

Dicitur *Gloria in excelsis*, ad cujus intonationem pulsantur organa et campanæ, quæ deinde silent usque ad *Gloria* Sabbato Sancto exclusive.

Dicitur *Credo* et Præfatio de Cruce; *Communicantes*, *Hanc igitur* et *Qui pridie* propria.

Pax *non* datur.

Post Missam Hostia consecrata in Calice processionaliter ad locum rite præparatum et ornatum defertur. (Crux processionis velatur colore violaceo.) In hoc loco panni nigri prohibiti sunt.

Coram Sanctissimo in Repositorio utrumque genu flectendum est. Wapelh. n. 186, 7.

Post Processionem S. Pyxis e tabernaculo removetur et reverentur transfertur vel ad locum, ubi S. Calix asservatur, vel (quod melius est) ad alium

locum decentem ab ecclesia separatum, e. g. sacellum domesticum vel sacristiam.

Post Processionem Vesperæ dicuntur in choro, *candelis accensis*, quibus absolutis denudantur altaria, relicta tantum Cruce cum sex candelabris. Idem crastino die servandum.

Ubi Vesperæ non dicuntur in choro, denudatio fit statim postquam sacra Pyxis amota est.

Completorium, ubi in choro recitatur, hodie et cras dicitur candelis exstinctis.

591.—A Repositione Ssmi Sacramenti usque ad Missam Sabbati S. non datur Communio nisi infirmis per modum *Viatici*, quo in casu adhibetur stola *alba* et Fer. VI *omittitur* benedictio cum Sanctissimo.

Feria sexta in Parasceve.

592.—*Notanda quoad Rubricas servandas.*

1. Hodie ultima pars Passionis, quæ locum tenet Evangelii, non legitur in cornu Evangelii, sed in cornu Epistolæ, in quo (*non in medio altaris*) Sacerdos profunde inclinatus, et ad Crucem conversus, recitat *Munda cor* etc, sine *Jube* etc., ibique legit reliquam partem Passionis, et in fine non osculatur librum.

In adoratione Crucis debent Celebrans et Ministri deponere Manipulum et juxta consuetudinem loci (quæ servetur) etiam calceamenta. S. R. C. 2769, 10. 5.

Processio fit ut heri, et velum humerale ad deferendum Ss. Sacramentum hodie et semper est *albi* coloris.

Vinum et aqua infunduntur Calici nihil dicendo, et sine benedictione, neque abstergitur calix.

Post consuetam thurificationem oblatorum thurificatur Crux et altare more solito sub verbis: *Incensum istud* etc.

Ad *Orate fratres* nihil respondetur.

Sacerdos sola dextra elevat Ss. Sacramentum ita, ut videri possit a populo, sinistra super Altare retenta (*Cœrem Episc.*), proinde patena non debet elevari cum sacra Hostia. Vide Wapelh. n. 197, 7.

Ad elevationem Ministri non elevant casulam nec incensant Ss. Sacramentum.

Post sumptionem Ss. Sacramenti exstinguuntur intorticia vel candelæ, quæ portantur a clero.

593.—Feria VI in Parasceve ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti omnes, etiam Celebrans, ante Crucem transeuntes genuflectere debent. S. R. C. 3049 ad 5; 3059 ad 4.

594.—Si hodie concio habeatur, stola, si concionator ea utatur, sit coloris Officii diei, i. e. nigra, juxta S. R. C. 3157, 6, et 3764, 13.

N. B.—Non licet Feria VI. in Parasceve post cæremonias exponere Reliquiam S. Crucis, ut maneat exposita usque ad functionem crastinæ diei. S. R. C. 2740 ad V.

Sabbatum Sanctum.

595.—In Ecclesiis, in quibus non est fons baptismalis, non licet aquam solemniter benedicere absque infusione sacrorum Oleorum. S. R. C. 3272.—Benedictio Fontis baptismalis fieri debet per ipsum Celebrantem Missæ. S. R. C. 2783. Solus Episcopus Diœcesanus ab hac regula excipitur. S. R. C. 2976, 8; et 3798, 2.

596.—*Quoad Rubricas notanda sunt:*

Ad **Cæremonias** et **Prophetias** color *violaceus* adhibendus est. Solus Diaconus ad *Lumen Christi* et ad *Exsultet* utitur Dalmatica coloris *albi*.

Cereus paschalis in Sabbato Sancto ita poni debet durante præconio paschali, ut crux latus Epistolæ respiciat, sed post præconium crux semper populum respiciat.

Præconium paschale eodem loco ac Evangelium in Missa canendum est, et Diaconus cum reliquis ministris lineam rectam efforment, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera altari obversa tenentes, facie Crucifixi Celebrantem respiciente, prout in *Cær. Ep.* ordinatur lib. II, c. 27, 10. S. R. C. n. 4198, 7 et 8.

Subdiaconus assumit Manipulum post benedictionem Ignis.

Ad Prophetias Celebrans deponit pluviale, et assumit manipulum et planetam, item Diaconus deponit dalmaticam albam, et reassumit manipulum, stolam diaconalem et planetam plicatam (si utitur) coloris violacei.

Prophetiæ si a clericis vel aliis lectoribus cantantur, *integre* cantari debent, nec abrumpi, ubi earum lectio a Celebrante finiatur. Incongruum est, ut, deficientibus lectoribus, Prophetiæ canantur a Diacono et Subdiacono Missæ, in quo casu ipse Celebrans eas alta voce legat. De Herdt III, n. 62. Conf. Wapelh. n. 207, not. 7.

Benedictio Fontis sequitur, ubi fieri debet, juxta Rubricas Missalis.

Litaniæ Sanctorum cantantur integre tum a cantoribus tum a choro. Ad quas Celebrans, depositis planeta (vel pluviali) et manipulo, et Ministri pariter depositis manipulis procumbunt.—Ceteri in choro genua flectunt.

597.—Si Sacerdos **sine** Ministris sacris cum clericis vel pueris ministrantibus, sacras functiones peragit,

et Litaniæ a cantoribus cantentur, ipse solus procumbit, ministrantes genua flectunt; sin vero cantores desint, sacerdos ipse genuflexus Litanias recitat. Cf. n. 635.

598.—In Missa ornamenta Altaris, et paramenta Celebrantis et Ministrorum coloris albi sunt.

Ps. *Judica* dicitur cum *Gloria Patri;* ad *Gloria in excelsis Deo* pulsantur campanæ et organum, et deteguntur Imagines Sanctorum supra Altaria.

Post Epistolam *Alleluja* ter solemniter cantatur a Celebrante, quod chorus repetit.

Ad Evangelium Acolythi adstant sine luminibus, manibus junctis.

Credo non dicitur neque Offertorium.

Dicitur Præfatio Paschalis cum *In hac potissimum nocte; Communicantes* et *Hanc igitur* propria.

Non dicitur *Agnus Dei*, nec datur Pax, sed dicuntur tres consuetæ Orationes ante Communionem.

Post Communionem dicuntur Vesperæ, et ad *Magnificat* fit Incensatio Altaris, ut solito, etiam si Missa cantatur absque ministris, non autem in Missa lecta. Wapelh. n. 211, 4.

Ite Missa est dicitur cum duobus *Alleluja* usque ad Sabbatum sequens, inclusive.

In Sabbato Sancto licet inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa. S. R. C. 28 Apr. 1914, ad II. et n. 2561.

Utrum in oratoriis Monialium, ubi in Sabbato sancto non celebratur Missa, sacra communio distribui possit, negat Dr. Piacenza in *Ephem. Lit.* 28, p. 275.

599.—Monitum.—Cavendum est, ne benedictio Cerei paschalis irrita reddatur absentia incensi, quod, juxta rubricas benedicendum

et cereo infigendum est. Haud raro enim fit, ut pro incenso tres globuli cerei in forma clavorum a mercatoribus vendantur, qui nihil prorsus incensi continent. Quadecausa consulendum, ut examen fiat globulorum cereorum, et si nihil incensi adsit, pauca granula inserantur, antequam procedatur ad functionem.

De Cereo Paschali.

600.—Cereus Paschalis accendi debet hodie (Sabbato S.) ad Missam, non autem ad Expositionem Ss. Sacramenti, quæ vespere fieri solet cum congruis piis exercitiis. Deinde "regularitur accenditur ad Missas et Vesperas solemnes tribus diebus Paschæ, Sabbato in Albis, et omnibus diebus Dominicis, usque ad festum Ascensionis D. N. J. C., quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Missam." Præterea accendi potest, ubi consuetudo viget, in aliis diebus et in solemnitatibus, quæ tempore paschali celebrantur, e. g. Ss. Philippi et Jacobi, Inventionis Crucis, Patroni, Titularis et anniversarii Dedicationis propriæ ecclesiæ. S. R. C. 235 ad 11.—Nunquam vero accenditur in Missis, quæ celebrantur in colore violaceo (e. g. Rogationum) vel nigro. Cf. Merati, I. 4, 10.—Vide n. 629 et 634.—*Nota* n. 603 et 604.

NOTANDA:

601.—Cereus Paschalis renovari non debet quotannis ex toto, sed potest et debet renovari tantum, quum pars accendenda non sufficiat pro toto tempore Paschali. S. R. C. 3895. 1.

602.—Cerei Paschalis loco adhiberi potest alter minoris molis ad Benedictionem Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes; dummodo etiam Cereus iste sit benedictus, in eoque sint infixa quinque grana thuris. S. R. C. 3352 ad 1; 3358.—Alter ille cereus in casu cum principali cereo est benedicendus.

Ex hac decisione liquet præter Cereum principalem alium licite benedici. Ideo, si unus idemque Sacerdos præter ecclesiam principalem, ecclesiæ filialis curam habeat, ut sæpius fit in hac regione, talis sacerdos simul cum cereo pro ecclesia principali, alterum pro filiali benedicere posse videtur.

603.—In Missa parochiali etiam non cantata accendi potest. Wapelh. n. 211, 7.

604.—Non licet cereum paschalem toties accendere quoties datur benedictio Ss. Sacramenti cum ostensorio tempore paschali. S. R. C. 3479, ad 3.—Quodsi tamen Expositio Ss. Sacramenti fiat post Vesperas solemnes, inter quas Cereus ardet, non exstinguatur, exposito Ss. Sacramento.—Pari modo Cereus ardere debet inter Missam vel Vesperas solemnes quæ diebus supra dictis celebrantur coram Ss. Sacramento exposito, quia Missa et Vesperæ sunt functiones primariæ et stricte liturgicæ.

Benedictio Fontis.

605.—*Notanda quoad Benedictionem Fontis.*

In Ecclesiis vel Oratoriis, ubi non exsistit fons baptismalis non licet Sabbato S. vel Vigilia Pentecostes peragere benedictionem aquæ juxta ritum ejus diei, absque sanctorum Oleorum commixtione, neque substituere inter *Exultet* et Missam benedictionem aquæ ordinariam. Quæ si facienda sit, fiat alia hora ipsius diei, privatim in sacristia. S. R. C. 3271 et 3272. Juxta Decr. S. R. C. n. 4198 ad VI, "Ubi unus adest sacerdos aqua lustralis in sacrario ante functionem benedici potest et post Litaniarum ℣ *Peccatores* in ecclesiæ vasis poni, secus privatim benedicatur ab alio sacerdote in sacrario post Prophetias."

606.—"Parochus curet, ut Presbyter vel Clericus, si possibile sit in Sacris constitutus, nova Olea recipiat. Quod si aliquod adhuc exstet impedimentum, idem Parochus vel per se, vel per alium Sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum Oleorum infusione, quæ privatim opportuno tempore fiet: nisi aliquem baptizare debeat; tunc enim ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat." S. R. C. 3879.

607.—Sabbato S. necnon Sabbato in Vigilia Pentecostes, in benedictione Fontis, quando Fons baptismalis non potest capere aquam sat copiosam, ut christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta, ad eam habendam in suis domibus, cubiculis, etc., "licet perficere in *uno tantum* vase extra Fontem posito benedictionem aquæ, deinde fundendæ in Fontem ipsum, ante immixtionem sancti Olei." S. R. C. 3524 ad V.

608.—Transmittenda sunt sacra Olea vel per aliquem sacerdotem vel Clericum, si possibile sit, in sacris constitutum, non autem per laicum, nisi in gravi necessitate per virum tali negotio dignum. Conf. Rit. Rom. tit. II, cap. 1, n. 38: S. R. C. 3879; Van der St. IV, q. 71. Hinc liquet quam indecens sit sacra Olea per publicos vectores, vulgo *Express Co.* transmittere, id quod decreto S. R. U. I, 1 Maji 1901, prohibetur.

609.—Aqua baptismalis in Parochiis in Sabbatis **Paschæ** et **Pentecostes** benedicenda est, non obstante quacunque contraria consuetudine, quæ omnino eliminari debet. S. R. C. 3331. Conf. infra n. 635.

Festum et octava Paschae.

610.—Festa duplicia quæcunque, majora et minora, et semiduplicia feria II et III Paschatis omnino omittuntur, si vero occurrunt aliis diebus infra hanc octavam, fit de illis commemoratio tum in utrisque Vesperis et Laudibus, tum in Missa. *Non* vero *legitur* Lectio historica.—Sola festa I vel II classis transferuntur.—Eædem regulæ valent pro Festo et octava Pentecostes. Conf. n. 472, 1; 474; 475, 477.

611.—Feriis IV, V, VI et Sabbato, si alia commemoratio non est facienda, secunda Oratio dicitur *Ecclesiæ*, vel pro Papa.—Tertia Oratio non dicitur, nisi præter commem. festi dupl. vel semid., facienda sit commem. simplicis. Oratio imperata omittitur. Cf. n. 160 et 162.

612.—A Dominica Paschæ usque ad Dominicam Trinitatis, exclusive, ad Aspersionem Aquæ benedictæ dicitur *Vidi aquam* (flexis genibus intonandum) loco *Asperges me.* Cf. n. 519.

613.—In administratione Ss. Eucharistiæ extra Missam usque ad festum Ss. Trinitatis exclusive ad Ant. *O sacrum Convivium* et ad ℣ *Panem de cœlo* additur *Alleluja*, et loco Orationis *Deus qui nobis*, dicitur *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde: ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum.* ℟. *Amen.*—Si vero Communio distribuitur ante vel post Missam de Requie, eadem Oratio dicitur, sed omittitur *Alleluja.*

614.—Quum feriis IV, V, VI et Sabbato in Albis Missa votiva solemnis *pro re gravi* vel *publica Ec-*

clesiæ causa permittantur, in tali Missa duo *Alleluja* ad *Ite Missa est* non addenda sunt, quia hæc conveniunt tantum Missis de Octava Paschatis.

Tempus Paschale.

615.—Quoad **Officium** observanda sunt sequentia:

1. Toto Tempore Paschali, usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive, in omnibus Officiis, tum de Tempore, tum de Sanctis, *Alleluja* (ubi deest) additur ad Invitatorium, ad Antiphonas, ad Versus et Responsoria, præterquam Versibus post Responsoria Matutini et Precibus ad Primam et ad Complet., et post *Pretiosa in conspectu Dni* ad Prim. — Responsoriis brevibus Horarum minorum et Completorii duplex additur *Alleluja*.

2. Toto tempore Paschali in Officio **Dominicali**, et in Festis novem Lectionum, tres Psalmi cujusvis Nocturni dicuntur sub *una*, i. e. *prima* Antiphona.

Item in his casibus quinque Psalmi Vesperarum et Laudum dicuntur sub *una* Antiphona.

Sin vero Officium festivum propriis gaudet Antiphonis, e. g. Festa Dni, B. Mariæ V., etc. tum ad Vesperas, tum ad Laudes quinque Antiphonæ dicendæ sunt.

3. Officium Dominicale recitatur, ut habetur in Psalterio et Prop. de Tempore.—Ad Primam dicuntur Psalmi *Confitemini*, *Beati*, *Retribue*, omittitur *Quicunque*. ℣ *Qui surrexisti*, semper dicitur, nisi alius versiculus assignatur in Officio.

4. In Officio **trium Lectionum**, tum feriali, tum de Sanctis, novem Palmi Matutini dicuntur sub una Antiphona. In Officio feriali quoque post Matutinum dicitur *Te Deum*, et ad Primam Capitulum *Regi sæculorum*.

5. Tempore Paschali a Fer. II post Dom. in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, in Officio tam de Tempore, quam de Sanctis (i. e. in semidup., quæ non incidunt infra Octavam) loco Suffragii Sanctorum fit *Commemoratio de Cruce.* Conf. n. 500.

616.—Quoad **Missam** notanda sunt:

1. In Missa ad Introitum duo *Alleluja* adduntur: ad Offertorium autem et ad Communionem unum *Alleluja.*—Omittitur Graduale et dicitur *Alleluja* etc.—Ss. Martyres habent proprium Commune Tempore Paschali.

2. In Missis, in quibus tres Orationes dicendæ sunt, tempore paschali, nisi aliæ commemorationes occurrant, 2 Oratio dicitur de B. M. V. *Concede*, 3 Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.

3. Pro Missa feriali Missa de Dominica resumitur, cum *Gloria* sine *Credo,* et *Ite Missa est.* Adhibetur color albus.

Feriae Rogationum.

Observanda sunt sequentia:

617.—Quoad Officium Feriæ II Rogationum, si dicendum est, servantur Regulæ supra, n. 615, sed omittitur *Te Deum*, et dicitur 9 Responsorium.

Quoad **Litanias** notanda sunt:

618.—Tribus feriis Rogationum ad Processionem quæ intra ecclesiam fiat, si extra ecclesiam fieri nequit, *de præcepto* celebranda est Missa ("congruentius in cantu") de Rogatione (*colore violaceo*, prohibentur flores) sine *Gloria*, 2 Oratio *Concede*, 3 Oratio *Ecclæ* vel pro Papa,—sine *Credo*, Præfatio Paschalis in tono feriali,—*Benedicamus Domino.*

619.—In decantandis Litániis singulæ invocationes et responsiones *integre* a cantoribus dici et a Clero repeti debent. S. R. C. 3135 ad 1.

620.—Ii qui processioni non intersunt, dummodo Matutinum cum Laudibus non anticipent, Litanias juxta rubricas recitant post Laudes, dicto *Benedicamus Domino*, omissis versu *Fidelium* et antiphona B. M. V., quæ in casu non dicitur post Litanias. Cf. Rub. brev. tit. XXX. n. 3 et tit. XXXVI. 3.—Litaniæ anticipari non possunt.

NOTANDA specialia:

621.—Feria II, si occurrat festum Titularis seu Patroni, Missa celebranda est de eo cum Commem. Rogationum sub una conclusione cum Oratione festi, et ultimo Evang. Rogat. S. R. C. 2942, 1.

Commemoratio Feriarum tertiæ et quartæ Rogationum omitti debet diebus duplicibus primæ classis, non vero secundæ classis. S. R. C. 3352 ad V.

622.—Feria IV. Rogationum, quæ est Vigilia Ascensionis Dni, in Missa Rogationum, si unica in eadem Ecclesia celebratur cum commemoratione Festi occurrentis, omitti debet commemoratio Vigiliæ ejusque Evangelium in fine. S. R. C. 3924 ad X.

623.—In Ecclesiis in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, "si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus de Festo cum commemoratione earundum." S. R. C. 2682 ad 35.

624.—In hac unica Missa Rogationum "facienda est commemoratio Festi occurrentis (nisi sit dupl.) cum sola tertia Oratione, quæ secundo loco præscribitur in Missa Rogationum." S. R. C. 2915 ad II.

625.—Processio in Festo S. Marci et in Feriis Rogationum, quoties temporis inclementia ex Ecclesia egredi non patiatur, "si Ecclesia capax est, congruentius est Rubricis, si intra ejus ambitum Processio in casu fiat." S. R. C. 3069 ad I

N. B.—Quoad Missam exsequialem vide n. 291, 2.

626.—In feriis Rogationum, ubi Processio cum Missa Rogationum præscripta est, et unicus tantum sacerdos adest, Missa pro Sponso et Sponsa celebrari nequit, sed Missæ Rogationum commemoratio pro Sponsis ultimo loco addenda est cum orationibus post *Pater noster* et ante *Placeat*. Conf. n. 753, 1, *f*

627.—Feria IV, in Vigilia Ascensionis, nisi occurrat festum dupl. vel semid., Officium fit de ea, ritu paschali, ut n. 615, 4 notatur. In Missa de Vigilia dicitur *Gloria*, 2 Oratio Rogationum, 3 Oratio *Concede nos; Credo* omittitur, et dicitur Præfatio paschalis et *Ite Missa est*. Color parament. est albus.

Festum et Octava Ascensionis.

NOTANDA sunt sequentia:

628.—Festum Ascensionis est festum privilegiatum III ordinis. Hinc, a.) Officia simplicia excluduntur diebus infra octavam, et Officia duplicia minora ac majora in die octava; b.) Missa privatæ votivæ et de *Requie*(exceptis die obitus aut depositionis cf. n. 228, *c* et 303, *d*,) prohibentur per totam Octavam.(1) Conf. n. 480-482.

---

(1) **Conf.** *Ephem. Lit.* vol. 28, **pag.** 125.

629.—Post Evangelium in Missa solemni exstinguitur cereus paschalis ab aliquo clerico. Sacro peracto cereus de candelabro tollitur et reponitur in sacrista, ut adhiberi possit in Vigilia Pentecostes ad benedictionem Fontis. Cf. Martin. *Man. Cærem.* 1., 2. cap. XXX.

630.—Feria sexta post festum Ascensionis ex mandato Leonis XIII. (9 Maji 1897) incipit **Supplicatio** NOVENDIALIS ad SANCTUM SPIRITUM ante Pentecosten in omnibus templis curialibus, et ad beneplacitum Ordinarii in aliis etiam ecclesiis sacrariisque peragenda.

631.—Feria sexta post octavam Ascensionis, nisi occurrat festum novem lectionum, etiam translatum, fit officium sicut in Dominica infra octavam, exceptis lectionibus. Omittuntur commemoratio paschalis de Cruce et preces ad Primam. Occurrente festo novem lectionum, Officium fit de eo cum commemoratione feriæ, nisi festum sit duplex primæ vel secundæ classis, in quo casu commemoratio omittitur.

Vigilia, Festum et octava Pentecostes.

632.—OBSERVANDA generalia:

Vigilia Pentecostes est privilegiata I classis.

In Vigilia Pentecostes et per totam octavam usque ad Festum Trinitatis inclusive, PROHIBENTUR Missæ votivæ privatæ et Missæ de Requie, pariter Missæ pro Sponso et Sponsa.

PERMITTUNTUR Missæ exsequiales cantatæ, corpore præsente, excepta Dominica Pentecostes. Cf. n. 291, *a*.

N. B. — Quoad Octavas prohibitas, vide n. 472, *Præmonitum*.

Vigilia Pentecostes.

Notanda particularia:

633.—Officium Vigiliæ fit ut infra Octavam Ascensionis, (cf. Breviar.)—De occurrenti festo simplificato vel simplici non legitur nona lectio historica.

634.—Ante Missam principalem seu solemnem, quæ hodie juxta Rubricas Missalis celebratur, leguntur (candelis Altaris exstinctis) Prophetiæ cum Orationibus, in paramentis violaceis, et in Ecclesiis parochialibus omnino fieri debet Benedictio Fontis, ad quam benedictionem adhibetur Cereus paschalis, qui, ea peracta, statim ad sacristiam defertur, quia non accenditur in Missa. S. R. C. 4048 ad 10.

Finita Benedictione, et, ubi non adest Fons, post ultimam Prophetiam et Orationem statim decantandæ sunt Litaniæ, Celebrante et Ministris decumbentibus, juxta Rubricas Missalis.

635.—Benedictio Fontis baptismalis *de præcepto* peragenda est in omnibus Ecclesiis Parochialibus, non obstante quacunque contraria consuetudine. S. R. C. 3331.

Attamen in casu quo fideles ad Ecclesiam non accedant, hæc benedictio *privatim* absolvenda est (S. R. C. 3776) servando Memoriale Benedicti XIII: Peracta absque cantu benedictione fontis, ac Cereo paschali ad sácristiam remoto, et Cruce deposita in cornu Epistolæ "Celebrans, stans ante altare, deponit pulviale tantum.—Idem genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali posito super scabello ante seipsum. Clerici (vel pueri ministrantes) respondent et repetunt omnia, quæ Celebrans dicit.—Ad versum *Peccatores* tollitur pallium violaceum ab altari, accenduntur candelæ,

et vasa florum inter candelabra apponuntur.—Celebrans prosequitur Litanias usque ad *Christe exaudi nos* inclusive.—Surgit Celebrans et præcedentibus Clericis, accedit ad sacristiam."—Mox assumptis vestibus sacris procedit ad altare Missam celebraturus.

Quapropter præcedentibus diebus extrahetur aqua e fonte baptismali, qui expurgabitur et in vigilia aqua recenti consecranda replebitur. Notandum tamen quod in sacrario conservandum est aliquantulum aquæ jam benedictæ in casu necessitatis adhibendum. Conf. Martinucci.

Ad hanc benedictionem idem ritus sequendus est sicut in Sabbato sancto. Ad prophetias tamen non dicitur *Flectamus genua*.

636.—1. Missa celebratur in paramentis rubris. "In fine Litaniarum," ut ait Missale, "cantantur solemniter *Kyrie eleison* pro Missa et repetuntur, ut moris est. Quo incepto Sacerdos cum Ministris procedit ad Altare, et facit Confessionem, deinde ascendens, illud osculatur, et incensat more solito."

Post thurificationem Altaris ipse Celebrans in latere Epistolæ (juxta Martinucci) cum Ministris statim recitabit *Kyrie*. "Finitis *Kyrie eleison* incipit in medio solemniter *Gloria in excelsis Deo* et campanæ pulsabuntur."

2. "In Missis privatis hujus Vigiliæ, omissis Prophetiis, orationibus et Litaniis, Missa absolute incipit ab Introitu *Cum sanctificatus*." Rubr. Missalis.

3. In Missa hujus diei unica dicitur Oratio, omittuntur commemorationes in Officio factæ. Oratio imperata, quæ *non pro re gravi* præscripta est,

semper omittitur. Quoad Collectam *pro re gravi*, vide n. 162.

637.—Si in hac Vigilia Missa Votiva solemnis seu pro re gravi cantanda foret, hujus Missæ commemoratio in Missa Vigiliæ facienda erit, sub unica conclusione, ut in Decreto de Missis Votivis dictum est. S. R. C. 3922, II, 2. Cf. n. 225.

In Vigilia Pentecostes non licet Missam cantatam celebrare sine Prophetiis juxta ritum pro Missis privatis præscriptum. S. R. C. 2731.

638.—**Festum Pentecostes** iisdem gaudet privilegiis ut Festum Paschæ: Conf. n. 610, 614. Quæ ad Officium pertinent, loco suo in Breviario notantur.

Festum Ss. Trinitatis.

OBSERVATIONES.

639.—Festum Ss. Trinitatis sub ritu duplici primæ classis recolendum est. S. R. C. 24 Jul. 1911.—Ad Primam dicitur Symbolum *Quicunque.*

640.—Ubi festum Ss. Trinitatis, qua Titularis Ecclesiæ, cum Octava celebratur, notandum est:

Infra Octavam, scil. Feriis II, III et IV, dummodo non occurrat festum aliquod duplex vel semiduplex, Officium fit modo ordinario, juxta n. 457, Lectiones II et III Noct. habentur in Octavario, Feria VI autem et Sabbato Officium fit de Octava Ss. Corporis Dni cum commem. Oct. Ss. Trin. In Dominica vero fit tantum commem. diei octavæ Ss. Trinit. deinde commem. Oct. Ss. Corp. Dni.—Symbolum *Quicunque* dicitur tantum in festo.—In Suffragio nulla mentio fit de Mysterio Ss. Trinitatis. Cf. n. 498.

In MISSA 2 Oratio *Concede nos* (B. M. V.) 3 Or. *Ecclesiæ*, vel pro Papa dicitur, nisi occurrat commem. simplicis.

641.—Feriis II, III, IV post Festum Ss. Trinitatis et ante Festum Ss. Corporis Chr., Officium, si occurrat de Feria, recitandum est et Missa ordinatur juxta regulas n. 470 et 646, 2, *b*. expositas. Prima quæ occurrit feria, in qua Missa Dominicæ præcedentis reponenda est, prohibentur Missæ privatæ votivæ et de Requie. Conf. n. 514.

Festum et Octava Corporis Christi.

642.—GENERATIM OBSERVANDA QUOAD FESTUM.

1. *Motu Proprio* Pii X. 2 Jul. 1911, et Decretis S. R. C. 24 et 28 Julii, Festum Ss. Corporis Christi, Feria V post Dominicam Ss. Trinitatis in universa Ecclesia *sine feriatione* celebrandum est, adhibito titulo: COMMEMORATIO SOLEMNIS SANCTISSIMI CORPORIS DOMINI NOSTRI JESÛ CHRISTI; externa solemnitas ad Dominicam infra Octavam transfertur.

2. Dominica infra Octavam hujus festivitatis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in Festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine.—Si una tantum Missa celebretur in aliis Ecclesiis, commemoratio Dominicæ addi debet sub distincta conclusione et ultimo ejus Evangelio in fine. Sin vero plures dicantur Missæ, commem. Dominicæ cum Evang. in Missa de solemnitate omittitur. Cf. n. 266.

N. B.—Quoad imaginem Crucifixi in Altari locandam, vide n. 371; *quoad Reliquias* n. 374.

3. Processio solemnis cum Ss. Sacramento præscripta in Cæremoniali Episcoporum, lib. II, cap. 33, prædicta Dominica peragenda est.

643.—Octava Ssmi Corporis Christi est Octava II ordinis. Hinc infra hanc octavam

1. *Prohibentur*, non solum Missæ votivæ et de Requie privatæ, sed etiam Missæ cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel ejus acceptum nuntium; die vero Octava prohibentur Missæ privatæ de Requie, quæ die, vel pro die obitus alias cum exsequiali Missa permittuntur. Cf. n. 293-303.—Missa exsequialis prohibetur tum in ipso festo, tum in Dominica, in qua fit solemnitas. Conf. n. 291, *a*.

2. Missæ votivæ *pro sponsis* per totam Octavam *prohibentur*, benedictio autem sponsorum fieri debet. Cf. n. 753.

3. Infra hanc Octavam, non autem die Octava, de Officio duplici primæ classis tantum fieri potest. Conf. Tabellam novam occurrentiæ.

De Officiis duplicibus (majoribus et minoribus) atque semiduplicibus fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus (sine 9 Lectione historica) et Missa. Officia II classis tantum transferuntur. Cf. n. 475.—Occurrente commemoratione Festi duplicis, in Missa omittitur tertia Oratio, nisi facienda sit commem. simplicis.

4. Festum Titularis vel Patroni, (non vero festum Nativ. S. Joannis Baptistæ vel Ss. Apostolorum Petri et Pauli,) occurrens in die octava Corporis Christi juxta præfatam rubricam transferri debet non in feriam immediate sequentem qua fit de festo

Ss. Cordis Jesu, ritu dup. I. classis, sed in Sabbatum, nisi aliter decernatur a Sancta Sede.(1)

644.—NOTANDUM quoad OFFICIUM.

Ad stropham *Tantum ergo* et *O salutaris hostia* genuflectitur si Officium recitatur in choro coram Ss. Sacramento. Conclusio hymnorum et ℣ ad Primam de B. M. V. per totam Octavam.

644.bis—*Monitum.*—Decreto S. Cong. Concilii diei 20 Dec. 1905. "de QUOTIDIANA Ss. EUCHARISTIÆ SUMPTIONE" S. Sedes Apostolica mandavit, ut singularum domorum religiosarum moderatores curent, ut illud Decretum quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

645.—DE PROCESSIONE.

1. Rituale Romanum de Processione in festo Corporis Christi hæc habet: "Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in tabernaculo (i. e. ostensorio) in Processione deferendam ita reponat, ut per vitrum seu crystallum quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adoratoribus appareat veloque operiatur, donec auferatur ab altari."—Sin autem processio transfertur usque ad Dominicam infra octavam, Ss. Sacramentum licite ab initio Missæ exponitur, et peracta Missa fit processio.—Rubricis congruum est, ut Sacerdotes qui, præter celebrantem et ministros sacros, Processioni Ss. Sacramenti intersunt, vel superpelliceis et stolis,

---

(1) S. R. C. n 4280 ad II Conf. Rubr. Brev. ante diem oct. Corp. Chr. et Notanda in Tabellas Occurr. et Concurr., n. 13.

vel planetis, vel pluvialibus albi coloris, non autem dalmaticis induti sint. Cf. S. R. C. 458; 610; 2505.

Quæ ad ordinem Processionis spectant, in Rituali sub tit. IX, cap. 5. accurate exponuntur.

Quoad consuetudinem sistendi in Processione et iterandi benedictionem Decr. 2609 statuit, "vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Cæremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant, *extra ecclesiam*, sed semel vel iterum; et Altaria, per viam extructa, sint decenter ornata et a probo Cæremoniarum Perito prius auctoritate Episcopi visitata."

Benedictioni semper præmittendus est Hymnus *Tantum ergo* cum versiculo *Panem de cœlo* et Oratione *Deus qui nobis*. S. R. C. 3621 ad III.

2. Non licet Orationi *Deus qui nobis* aliam orationem adjungere, quæ ceterum nonnisi Indulto Apost. permittitur S. R. C. 4194, 10. Conf. n. 395.

3. Non licet quidquam cantare lingua vernacula alternatim cum Hymnis liturgicis in solemni Processione Ss. Sacramenti. S. R. C. 3975, dub. V. 2. cf. n. 326.

4. In festo Corporis Christi vel per ejus octavam Processio fieri potest vespere. S. R. C. 3488 ad 1.

In Processione solemni cum Ss. Eucharistiæ Sacramento, quæ post Vesperas fit in Festo Ss. Corporis Christi, Celebrans induatur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, assistentibus Diacono et Subdiacono paratis ut in Missa, sed sine Manipulo. S. R. C. 3577.

☞ Alia decreta ad cultum Ss. Eucharistiæ pertinentia inveniuntur, nn, 365 et seq.

De Tempore a Dominica post Octavam Corporis Christi usque ad Adventum

646.—Sequentia notanda sunt:

1. De Dominicis, quæ dicuntur *per annum*,

a.) Officium dicitur ut habetur in Psalterio et Proprio de Tempore. Conf. n. 467.—Per totum hoc tempus Antiphonæ propriæ habentur ad *Magnificat* primis Vesperis Dominicæ assignatæ, Cf. Breviar.

b.) In Missa de tempore dicitur *Gloria*, et, nisi alia com. facienda sit, 2 Oratio *A cunctis*, 3a ad libitum.—Infra Octavas et occurrente commemoratione festi duplicis duo tantum Orationes dicendæ sunt, nisi commem. facienda sit festi simplicis.—*Credo* semper dicitur et Præfatio de Trinitate, etiam infra Octavas Sanctorum; nisi dicenda sit Præfatio de Octava alicujus festi Domini.

2. *a.*) In Officio Feriali hoc tempore omnia dicuntur, ut exponuntur n. 470.

b.) In Missa Feriali, quæ dicitur de Dominica præcedenti, cum iisdem Orationibus; omittitur *Gloria* et *Credo* et dicitur *Benedicamus Domino*; Color est viridis.

c.) In Feriis Quattuor Temporum et Vigiliis Missa est propria et color paramentorum violaceus.

NOTANDUM.

Quando Officium Dominicæ XXIII post Pent. est anticipanda, observanda sunt, quæ n. 149 habentur. Lectiones I Nocturni de Sabbato occurrenti adhibentur cum Respons. de Dominica, Lectiones II Nocturni autem novæ, quæ loco proprio, i. e. sub Dom. XXIII inveniuntur. Conf. nov. Brev.

DE FESTIS SANCTORUM.

Festa tempore Adventus occurrentia.

647.—29 *Novembris.* De Vigilia S. Andreæ Ap., si in Adventu et in Festo novem Lectionum occurrat, in Missa tantum fit commemoratio post comm. Feriæ ac legitur ultimum Evangelium de Vigilia; si autem Officium fiat de Feria, in Officio nihil fit de Vigilia, additur tantum com. S. Saturnini; Missa autem legitur de Vigilia cum commem. Feriæ et S. Saturnini M. In hac Vigilia prohibentur Missæ votivæ et de Requie privatæ. Cf. n. 229, *d.* et 303, *c.*

648.—7 *Decembris.* De Vigilia Immacul. Conceptionis fit commemoratio in Festo IX Lectionum in Missa tantum (post comm. Feriæ) cum ultimo Evangelio Vigiliæ. Hodie permittitur Missa privata de Vigilia. Conf. n. 218.

8 *Decemb.* Festum Immac. Conceptionis B. M. V. si in Dominicam II Adventus incidat, celebratur cum commem. et ultimo Evangelio Dominicæ.

In Officio Dominicæ infra Octavam Immac. Concept. Conclusio hymnorum et Versus ad Primam sunt de Tempore, non de Octava. In Missa dicitur Præfatio de Trinitate.

649.—13 *Decembris.* Quoad Festum S. Luciæ, vide n. 458.—Juxta noviss. edit. Brev., Lectiones I Noct. de Script. occurrenti; Responsoria propria (olim I Noct.) dicenda sunt in II Nocturno.

650.—14 *Decemb.* Hodie si occurrat Feria IV Quattuor Temporum, nisi fiat de Festo aliquo occurrente Officium, fit de die 7 infra octavam B. M. V. cum commemoratione (sed sine IX Lectione) Feriæ;

Missa autem dicenda est de Feria cum comm. octavæ, 3 Oratione de Spiritu sancto, sine *Gloria*, sine *Credo*, cum Præfatione octavæ.—Missæ votivæ vel de Requie privatæ prohibentur. Occurrente Festo dup. (exc. I vel II cl.) aut semid., Missa privata vel de Feria vel de Festo legi potest. Cf. n. 218.

15 *Decemb.* Octava Imm. Conc., si occurrat Feria IV, fit comm. Feriæ Quattuor Tempor., sed non legitur ultimum Evangelium de ea. S. R. C. 3667 ad II.—Missa de Feria in hoc casu permittitur.

651.—18 *Decemb.* Fest. Expectationis Partus B. M. V., ubi indultum, si Feria IV occurrat, quæ est Quattuor Temporum, Lectiones 3 Noct. sumendæ sunt de Feria, omittitur in Missa ultimum Evangelium Feriæ. Cf. n. 184.

652.—19 vel 20 *Decembris.* Vigilia S. Thomæ Apostoli, de qua nihil fit in Officio. Extra Feriam IV Temporum tantum legitur Missa de Vigilia cum commem. Feria. In tali Feria autem Missa legitur de Feria cum commem., sed sine ultimo Evangelio, Vigiliæ.—In utraque casu prohibentur Missæ votivæ et de Requie privatæ. Conf. n. 229, *b*, *d;* et n. 303, *c. f.*

653.—Festum S. Familiæ, ubi concessum, celebrandum est 19 Januarii cum commem. Ss. Marii etc. Mart. ac S. Canuti, Mart. S. R. C. 28 Apr. 1914.—Hoc festum inter Festa Domini numerandum est. Novum Officii et Missæ schema, a S. R. C. 14 Junii 1898, approbatum omnino adhibendum.—Ubi hoc Festum Titulare est, nihil de eo memorandum est in Suffragio. Conf. n. 498.

De Associatione S. Familiæ consule S. R. C. 3766, 3777, 3778.

654.—25 *Januarii.* Occurrente in festo Convers. S. Pauli Dom. Sexag., commem. S. Pauli non est omittenda. S. R. C. 7 Aug. 1914. I.

655.—28 *Januarii.* Officium S. Agnetis 2° si de ea faciendum sit, fit ut in Festis simplicibus, Antiphonæ ad *Magnificat* et *Benedictus*, Lectio III et Oratio tantum propriæ sunt.

Festa Februarii.

656.—Festum Purificationis B. M. V.

1. Hodie fit Benedictio Candelarum et Processio. Ad hanc benedictionem et processionem adhibetur *color violaceus* paramentorum et antipendii, quod peracta processione, removetur. Celebrans induitur alba, stola et pluviali, ministri accedunt sine dalmaticis vel cum planetis; omnes autem *sine* manipulis. Ante ultimam Orationem dicitur *Flectamus genua*, nisi festum Purificationis occurrat ante Dominicam Septuagesimæ vel in Dominica.

Candelæ accensæ in choro tenentur sub cantu Evangelii et a Consecratione usque peractam Communionem, *non tamen a Ministris Altaris*, solus vero Celebrans in Missa solemni sub cantu Evangelii candelam tenet, eamque dimittit *ante osculum* libri. Wapelh. n. 166, 4.

2. Si festum Purificationis occurrat in Dominica, aspersio aquæ benedictæ fieri debet ante Benedictionem Candelarum.

3. Si die 2 Februarii occurrat Dominica privilegiata, Septuagesimæ, Sexagesimæ vel Quinquagesimæ, vel festum duplex I classis, transfertur festum Purificationis in diem sequentem, at Benedictio Candelarum et Processio *non* transferuntur. In hoc casu candelæ in Missa *non* tenentur. S. R. C. 3321.

4. Vasa florea prohibentur inter benedictionem candelarum, et si Missa est de B. M. V. vel alio festo dupl. 1 classis, peracta processione, apponenda sunt.

657.—Hodie i. e. 2 Februarii,—etiam si festum Purificationis transfertur,—a Completorio diei usque ad Completorium feriæ quartæ Hebdomadis Majoris inclusive Antiph. *Ave Regina cœlorum* recitatur.

In Ecclesiis Parochialibus nullam habentibus chori obligationem, et in quibus decantantur Vesperæ diebus festivis absque Completorio, in festo Purificationis B. M. V. concludendæ sunt cum Antiphona: "Alma Redemptoris." S. R. C. 3885. 4.

658.—A festo Purificationis (i. e. 2 Febr.) usque ad Quadragesimam in festis semiduplicibus dicitur 2 Oratio *A cunctis*, 3 Oratio ad libitum, nisi occurrat commemoratio simplicis, quæ 2° loco ponitur et 3° loco dicitur Oratio *A cunctis*.

659.—In festo S. Blasii Ep. et Mart., die 3 Februarii, singulis fidelibus cum candelis benedictis Benedictio datur ad impetrandam liberationem a malo gutturis, et adhibeatur formula Ritualis: *Per intercessionem S. Blasii, Episcopi et Martyris, liberet te Deus a malo gutturis et a quolibet alio malo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Quoad Officium in Festo S. Agathæ, vide n. 458.

660.—23 *Februarii.* De Vigilia S. Mathiæ Apost., si occurrat tempore Quadragesimæ, nihil fit in Officio, sed in Missa tantum commem. sine ult. Evang., quod legitur de Feria.

In anno bissextili Vigilia celebratur die 24 Febr., quæ si occurrat ante Quadragesimam Officium et

Missa de Vigilia fiunt; si autem infra tempus Quadrag. venerit, Officium fit de Feria sine Commem. Vigiliæ, et Missa legitur de eadem Feria cum commem., sed sine ultimo Evangelio Vigiliæ. Conf. Rubr. gen. Miss. Tit. 23, 2.

Licet Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de Feria, vel de Vigilia. S. R. C. 6 Dec. 1912 ad V.

In annis bissextilibus Festa, quæ occurrunt diebus 24, 25, 26, 27 et 28 Februarii, ad sequentem diem ponenda sunt.

Festa Martii.

661.—De Festo S. JOSEPH Pius X., *Motu Proprio* 2 Jul. et S. R. C. 24 Jul. 1911, et 28 Oct. 1913 statuit sequentia:

Die 19 Martii Festum natale S. Joseph, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici II classis recolendum est, adhibito titulo: COMMEMORATIO S. JOSEPH, SPONSI B. M. V., CONFESSORIS. Hoc festum, si impediatur, reponendum est juxta novas Regulas translationis, vide n. 475.

N. B.—De Missa votiva vide n. 256.

662.—Festum principale Feria IV ante Dominicam III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolendum est sub titulo: SOLEMNITAS S. JOSEPH, SPONSI B. M. V., CONFESSORIS, ECCLESIÆ UNIVERSALIS PATRONI. S. R. C. 24 Jul. 1911 et 28 Oct. 1913.

663.—In ecclesiis quarum titulus est S. Joseph, et in locis in quibus S. Joseph usque nunc tamquam patronus principalis colebatur die 19 Martii, festum

patronale convenientius in feriam IV ante Dominicam III post Pascha reponatur: nisi rationes speciales habeantur illud in sua die, 19 Martii retinendi. S. R. C. 6 Dec. 1912 ad III.

664.—Solemnitas externa hujus Festi fieri potest Dominica infra Octavam, in qua una Missa solemnis et Missæ privatæ, præter Missam Conventualem et Parochialem, de Officio diei dicendas, de Solemnitate celebrari possunt. In hac Missa fit commem. et legitur ultimum Evangelium Dominicæ, fiuntque aliæ commemorationes, quæ fierent, si Festum incidisset in Dominica. Conf. n. 265.—Quoad Missam exsequialem vide n. 291, *f.*

665.—25 *Martii.* FESTUM ANNUNTIATIONIS in universa Ecclesia ritu duplici I classis recolendum est. —Ideo Missa exsequialis prohibetur. Conf. n. 291, *a.*

N. B.—In Missa solemni hodie Celebrans cum Ministris genuflectat ad verba *Et incarnatus* usque ad *homo factus est*, dum in choro cantantur.

Festum Annuntiationis occurrens in Hebdomada Sancta, reponendum est juxta regulas occurrentiæ, n. 475.

In casu quo festum Feria VI in Parasceve vel Sabbato sancto impediatur, Indulgentia plenaria huic festo annexa transfertur cum officio.

666.—Quando Festum SEPTEM DOLORUM B. M. V. Feria VI post Dom. Passionis celebrari nequit ob occursum alicujus Festi altioris ritus, aut æqualis sed primarii, vel potioris dignitatis, de eo fit commemoratio, juxta novas Rubricas.—Impeditis utrisque Vesperis hymnus *Stabat Mater* jungendus est hymno Matutini; si autem habeat II Vesperas tan-

tum, ad Matutinum dicitur hymnus *Stabat Mater*, ad Laudes *Sancta Mater*, ad II Vesperas *Virgo Virginum.*

667.—Officia mysteriorum et instrumentorum Dominicæ Passionis, si alicubi concessa sunt, nullo privilegio gaudent.

Festa Aprilis.

668.—25 *Aprilis*, in festo S. MARCI, dicendæ sunt Litaniæ, ut diebus Rogationum. Quodsi festum S. Marci impediatur et transferatur, non tamen transferuntur Litaniæ. Si autem Litaniæ occurrant in die Paschatis, transferuntur in Feriam III. sequentem. Cætera quæ notanda sunt circa Litanias, et Missam, vide n. 618-620.

669.—Infra octavam Paschatis in Missa Rogationum dicitur Præfatio Paschalis cum *Communicantes* et *Hanc igitur* propriis; *Benedicamus Domino* sine *Alleluja.* Wapelh. 324, 3.

670.—In Ecclesiis, ubi unus est Sacerdos et una tantum Missa celebratur, si fiat Processio in festo S. Marci, Missa de Rogationibus legitur, modo solito, sine *Gloria* et sine *Credo*, addita commemoratione S. Marci, et dicitur Præfatio Paschalis.

Si occurrat in Dominica additur insuper commemoratio et legitur ultimum Evangelium Dominica,

Si festum S. Marci incidat in Dominica in Albis, in Missa Rogationum additur commemoratio Dominicæ, festo S. Marci translato.

Missa Rogationum valet pro ad implendo onere Missæ Parochialis.

S. R. C. 3069, II.; 3924, IX.; 4006, III, 3189, II.

671.—In festo S. Marci, ubi est Patronus seu Titularis ecclesiæ si unus vel duo tantum Sacerdotes celebrant, post Processionem dicitur Missa de festo cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione. Eadem regula servanda est, occurrente festo alius Patroni seu Titularis in una Rogationum. S. R. C. 2942, 1, 2 et 3.

672.—In Ecclesiis, in quibus plures sunt Sacerdotes, "congruentius est Rubricis, ut Missa Rogationum cantetur: non tamen stricte præcipitur, nisi agatur de Ecclesiis ubi Missa Conventualis quotidie cantanda est." S. R. C. 3069 ad III.

673.—Ubi *non est* processio, Missa semper erit de festo et commemoratio Rogationum *non fit*, nisi in Ecclesiis, ubi processio fieri debuisset, et quidem in in una tantum eaque principali Missa, sive lecta, sine cantata. Aliæ Missæ celebrantur de festo *sine* com. Rogat. (Ante Missam principalem laudabiliter recitantur publice Litaniæ.) Ita Ordo diœc. Buffalen. 1911.

Festa Maji.

674.—Festo Ss. PHILIPPI et JACOBI, Apost. notanda sunt:

Si unus ex his Apostolis sit Titularis vel Patronus principalis, alterius festum transfertur juxta Rubricas, vide n. 475. Officium et Missa ordinantur, ut sequitur:

1. Oratio dicitur in singulari.

2. Pro S. PHILIPPO: *Quoad officium*: Omnia ut in ordine Breviarii, exc. Lect. 1. Noct. de Comm. Apost. *Sic nos existimet*. Lect. V et VI de Communi:

Scriptum est, et *Quot ergo. Quoad Missam*: Omnia ut in Missali, exceptis Orationibus quæ dicuntur in singulari.

3. Pro S. JACOBO: *Quoad officium*: Omnia de comm. Apost exceptis Lectionibus. Lect. 1 Noct. ut notatur in Breviario. Lect. IV et V. quæ in Brev. sunt V. et VI.; Lect. VI. de comm. Apost. *Scriptum est.* Lect. 3 Noct. de comm. Apost. *Ecce nos reliquimus.*

Quoad Missam: Missa *Protexisti* cum Evang. *Ecce nos reliquimus* de Comm. Abbatum. Extra temp. Pasch. Missa votiva Apost. Petri et Pauli, præter orationes.

675.—3 *Maji.* Fest. INVENTIONIS S. CRUCIS, si concurrat cum festo Ascensionis Domini, fit commem. S. Crucis ob diversitatem mysterii.

676.—6 *Maji.* Festum S. JOANNIS ante Portam Latinam. Si quando in hoc Officio Lectiones de Script. occurr. legendæ sunt, ut exponitur in Rubr. Brev., Responsoria sumenda sunt de Communi Apost. (*T. P.*)

NOTANDUM.—Si quando nona lectio Matutini de Homilia Dominicæ vel feriæ, vel de festo simplici legenda sit. lectio nona festi, utpote historica, lectioni octavæ conjungenda est. S. R. C. 23 Mart. 1911. ad III.

677.—Mensis Majus in multis Ecclesiis speciali modo BEATISSIMÆ VIRGINI DEDICATUR, et sacris atque congruis exercitiis celebratur. Hac de re sequentia servanda sunt:

1. In ecclesiis, ubi altare laterale habetur Beatæ Virgini Mariæ dicatum, illud ipsum pro hac celebratione paretur et ornetur, absonum enim videtur aliud altare quoddam temporarium pro mense Majo erigere.—Ubi autem tale altare non exsistit, speciale

altare cum statua vel imagine B. M. V. floribus et luminaribus exornatum exstrui decet.—*Prohibitum* tamen est imaginem vel statuam B. M. V. sub baldachino exponere. S. R. C. 2379; 2647.

2. In altari in quo imago B. M. V. maximo ornatu exponitur, minime convenit simul Ss. Sacramentum exponere, quia in illo altari Imago B. M. V. principalem et sublimiorem locum occupare solet; in humiliore autem loco Ss. Sacramentum exponere certo non decet. Cf. DeHerdt. III. n. 95.—Quodsi prædicta exercitia ad altare B. M. V. peraguntur, et in fine Ss. Sacramentum exponendum est ad benedictionem impertiendam, hoc fiat in altari principali ubi Ss. Sacramentum asservatur.

3. Indulgentiæ.

a.) Pro singulis diebus mensis Maji Indulgentiæ 300 annorum concessæ sunt iis fidelibus, qui sive publice sive privatim Beatissimam Virginem certis piis exercitiis vel virtutis actibus quotidie venerantur.—*b.*) Indulgentiam plenariam semel per mensem Majum vel priores octo dies Junii lucrari valent, qui vere pœnitentes confessi, ac sacra Communione refecti pro intentione Summi Pontificis aliquas preces fuderint. Pius VII 18 Jun. 1822.

Festa Junii.

678.—Festum **Ss. Cordis Jesu** S. R. C. decreto 3712 ad ritum duplicis primæ classis elevatum est, et Feria VI. post Octavam Corporis Christi veluti in sede propria, recolatur; et utpote secundarium, Solemnitatibus primariis ejusdem ritus occurrentibus locum cedat. In hoc casu transfertur hoc festum juxta novas Rubricas.—In concurrentia Festi Ss.

Cordis Jesu cum die octava Corporis Christi, Vesperæ integræ fiunt de eadem octava, sine ulla commemoratione.

Ubi festum Ss. Cordis titulus est Ecclesiæ, ideoque primarium *per accidens*, supradicta regula quoad primas Vesperas sequenda est. S. R. C. 3919 ad 11.

☞ *Quoad exercitia pietatis prima feria sexta unoquoque mense peragenda, vide n.* 270-275.

679.—Decreto Urbis et Orbis die 22 Aug. 1906 Pius Papa X. mandavit, ut singulis annis die festo Ss. Cordis Jesu, in omnibus parochialibus templis necnon in illis, in quibus idem festum agitur, coram Ss. Sacramento publicæ adorationi exposito, formula Consecrationis a Leone XIII. die 25 Maji 1899 proposita recitetur, ad quam Litaniæ in honorem Ss. Cordis erunt adjiciendæ.

MONITUM.—Quod attinet hoc die ad iteratam Ss. Sacramenti expositionem, quum Octava Corporis Christi sit expleta, specialis facultas Ordinarii requiritur.

Mensis Junii PRIVILEGIA.

680.—Indulgentiæ a Leone XIII. pro mense Junio, Ssmo Cordi Jesu dicato, concessæ:

a.) Indulgentia *septem* annorum et *septem* quadragen. iis Christifidelibus *semel* per diem lucranda, qui vel *publicis* exercitiis devotionis intersunt, vel *privatim* talia exercitia peragunt;

b.) Indulgentia *plenaria* aliquo die per mensem lucranda illis, qui vel *quotidie privatim* exercitia obeunt, vel *decies* saltem per mensem *publicis* exercitiis intersunt, solitis conditionibus servatis. S. C. Ind. 30 Maii 1902.

EXTRAORDINARIÆ INDULGENTIÆ et PRIVILEGIA pro pio exercitio mensis Junii Ss. Cordi Jesu dicati a Pio X. die 8 Aug. 1906 in perpetuum concessa:

1. Indulgentia plenaria *toties quoties*, animabus purgatorii applicabilis, die 30 Junii iis in ecclesiis, ubi mensis Sacri Cordis exercitium solemniter habitum fuerit et hac die solemnis conclusio talis devotionis celebratur.

2. Pium hoc exercitium promoventibus indulgentia 500 dierum quocunque bono opere lucranda ab iis præstito eo fine, ut idem propagetur aut melius impleatur, insuper plenaria indulgentia in suis communionibus mensis Junii, quæ omnes animabus purgatorii sunt applicabiles.

Diversis dubiis propositis Ss. Dom. Pius X, die 28 Januarii 1908 sequentia declaravit:

a.) Mensis Ss. Cordi dicatus celebrari debet cum sacra prædicatione aut quotidie aut saltem ad formam sacrorum exercitiorum per octiduum.

b.) Propter uniformitatem et majorem fidelium concursum solemnis conclusio mensis Ss. Cordi Jesu dicati ultima Dominica Junii fieri potest.—(Hoc die procul dubio Indulgentia plenaria diei 30 mensis supra assignata lucrari potest.)

c.) Oratoria semipublica iisdem privilegiis fruuntur.

d.) Hæc Devotio, si quando ex justa causa mense Junio haberi nequit, cum licentia Ordinarii alio mense fieri possunt. Conf. *Anhang* zu Beringer *Ablœsse* n. 70; Ambr. St. John, *Racolta*, n. 155.

681.—23 *Junii.* In VIGILIA S. Joannis Baptistæ omnia fiunt ut in Vigiliis communibus, vide n. 468 et 469. — Prohibentur. Missæ privatæ votivæ et defunctorum.

682.—24 *Junii.* Festum S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Credo* non dicitur, nisi ubi S. Joannes est Titularis ecclesiæ, aut si Festum occurrat in Dominica.

683.—Si alicubi S. Joannes Baptista sit Titularis Ecclesiæ Cathedralis, REGULARES tenentur *Credo* recitare non in festo tantum, sed etiam per octavam, ut inferendum videtur ex Decr. S. R. C. 4212.

In festo Nativ. S. Joannis prohibetur Missa exsequialis. Cf. n. 291, *a*.

684.—Ex decisione S. R. C. 3803 inferri posse videtur, si quando Missa votiva de S. Præcursore dicenda sit, Missam Nativitatis non Decollationis sumendam esse, mutata voce *Nativitate* in vocem *Commemorationem*, juxta regulas memoratas, n. 255, 1.

685.—26 *Junii.* Quoad Festum Ss. JOANNIS et PAULI, vide n. 458.—Juxta noviss. edit. Brev., Lectiones I Noct. de Script. occ.; Respons. propria (olim I Noct.) dicenda sunt in II Nocturno.

686.—29 *Junii.* Commemoratio Omnium Ss. Apostolorum, ubi ex indulto facienda est, fit semper sub distincta conclusione et post commemorationem Dominicæ et octavæ Ss. Corporis Christi, si occurrant. S. R. C. 2913, 2914 et 3157 ad 15.—Idem valet de commem. omnium Ss. Martyrum, quæ in festo S. Stephani, ubi indulta est, fieri debet *post* Commem. Nativ. Domini.

Hæc commemoratio tamen fit tantum in die festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et non in Dominica, in quam solemnitas transfertur. DeHerdt,

NOTANDUM.

Ubi S. Petrus Apostolus est patronus, Officium et Missa 29 Junii sine mutatione dicuntur.

Festa Julii.

687.—Festum Pretiosissimi Sanguinis sub ritu dup. 2 cl. celebrandum est die 1 Julii cum commem. tantum diei octavæ S. Joannis. *Nov. Calend.*

NOTANDA.

1. Missa Pretiosissimi Sanguinis more votivo celebrari potest.

2. In festo S. Sanguinis, si Missa celebratur coram Ss. Sacramento exposito commemoratio Ss. Sacramenti omittitur. Idem valet pro Missa votiva. Conf. n. 145, 2.

688. — Festum Commemorationis Ss. Summor. Pontificum, ubi concessum, diei 3 Julii assignatum est. Conf. *Ephem. Lit.* vol. 28. .p. 498.

689.—8 *Julii.* In Festo S. Elisabeth Reginæ Officium modo ordinario recitandum est juxta noviss. edit. Brev. cum partibus in Proprio Sanctorum ibidem assignatis.

Festa Septembris.

690.—8 *Septembris.* Fest. Nativit. B. Mariæ V. duplex II classis cum Octava simplici. (Cf. n. 472, 8 et 473.)

691.—Sabbato post Festum Nativ. B. Mariæ V., quod non fuerit impeditum festo nobiliore, fit Officium S. Mariæ in Sabbato. In eo tamen omnia quæ non accipienda sunt ex Ordinario et Psalterio, sumuntur de ipso Festo Nativ. præter Absolut. et Benedictiones e Communi Officio S. Mariæ in Sabb.,

Lectio 3 nova loco suo post Festum Nativ., I et II Lect. de Script. curr. cum suis Respons.

Missa legitur de Festo cum *Gloria*, sine *Credo*, cum Præfatione *Et te in Nativitate.*(1)

692.—Si Missa votiva de B. M. V. infra hanc Octavam dicenda sit, legenda est Missa, ut in Festo cum *Gloria*, sine *Credo*, et cum Præfatione festi.(2)

693.—Festum Ss. NOMINIS MARIÆ, antea in Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. sub ritu duplici majore celebrandum, diei 12 Septembris assignatur. Quodsi eodem die occurrat Festum nobilius, de Ss. Nomine nonnisi commemoratio fieri debet, juxta easdem Rubricas. Ubi idem festum ritu altiore celebratur, in tali casu transferatur.

694.—Festum SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ VIRG. die 15 Septembris ab universo Clero, tum Sæculari tum Regulari, in tota Ecclesia quotannis celebrandum est sub ritu duplici secundæ classis. S. R. C. 8 Julii 1908 et 28 Oct. 1913.—Nihil fit de die octava simplici Nativitatis B. M. V.

695.—In VIGILIA S. MATTHÆI, si occurrat in Feria Quattuor Temporum, licet Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de Feria, vel de Vigilia, juxta regulas n. 218. De ultimo Evang. vide n. 183.

696.—28 *Septembris.* In Festo S. WENCESLAI, in III Noct. nova Homilia legenda est juxta noviss. edit. Brev.

---

(1) Juxta Ordinem Urbis, 1916.

(2) S. R. C. 7 Aug. 1914.

Festa Octobris.

697.—7 *Octobris.* Festum SACRAT. ROSARII huic diei tamquam sedi fixæ assignatum est. In Laudibus et Missis privatis tantum fit commem. S. Marci PC. ac Ss. Sergii etc. Mart. Solemnitas externa transfertur ad Dominicam I Octobris, in qua omnes Missæ, præter Conventualem et Parochialem, de Festo celebrari possunt cum Commem. et ultimo Evangelio Dominicæ et alicuius Festi duplicis occurrentis. Quodsi in ipsa Dominica Festum nobilius occurrat, in Missa de isto Festo addatur sub una conclusione commemoratio Sacratissimi Rosarii Orationi Festi occurrentis. S. R. C. 28 Octobris 1913. Conf. n. 265, *a.*

698.—DEVOTIO SS. ROSARII.

Epistola encyclica diei 1 Septembris 1883 Leo XIII mandavit, mandatumque subsequentibus annis in perpetuum confirmavit: Ut a prima die Octobris usque ad secundam Novembris in omnibus ubique ecclesiis parochialibus, et, pro locorum Ordinarii judicio, etiam in aliis Ecclesiis et Oratoriis QUINQUE saltem ROSARII DECADES unacum LITANIIS LAURETANIS et Oratione in honorem S. JOSEPH, Sponsi B. M. V., sive mane infra S. Missæ sacrificium, sive alio tempore coram Ss. Sacramento exposito recitarentur.

Quodsi solemnis Expositio per ostensorium haberi non possit, indultum est, ut eadem Expositio per modum exceptionis, prudenti Ordinarii judicio, cum sacra pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum tabernaculi, fiat, et cum ea populum in fine benedicendo. Cf. S. R. C. 3650 ad 4 et 5; 3666.

INDULGENTIÆ CONCESSÆ.

1. *Indulgentia partialis:* Omnibus, qui intra designatum temporis spatium, Rosarii cum Litaniis publicæ recitationi interfuerint et ad mentem S. Patris oraverint, *septem annorum itemque septem quadragenarum* singulis vicibus obtinenda. Eandem Indulgentiam lucrari poterunt qui legitima causa impediti idem exercitium privatim absolverint.

Indulgentia plenaria conceditur iis qui decies saltem vel publice, vel ob justas causas privatim recitationem peregerint, et rite confessi ad sacram mensam accesserint simulque ad mentem S. Patris oraverint.

3. Plenissimam autem veniam elargitur Summus Pontifex iis qui in ipsa Ss. Rosarii solemnitate vel quolibet die infra octavam, post sinceram confessionem et Sacræ Eucharistiæ receptionem ad Ejus mentem Deo et Deiparæ rite supplicaverint.

Indulgentiæ *pro Oratione S. Joseph:*

1. Septem annorum et septem quadragenarum singulis vicibus quod publicam recitationem Rosarii mense Octobri illa Oratio adjungitur.

2. Trecentorum dierum singulis vicibus, semel per diem, per totum annum. S. C. Ind. 21 Sept. 1899.

699.—In festo Ss. Angelorum Custodum de octava S. Michaelis Archangeli facienda est commemoratio, ubi istud festum cum octava celebratur. S. R. C. 3406.

700.—28 *Octobris.* Festum Ss. SIMONIS ET JUDÆ. Si unus horum Apostolorum sit Titularus Ecclesia, de altero fit die sequenti non impedito juxta novas Rubricas.—Sequentia servanda sunt:

In primo nocturno Officii S. Simonis leguntur lectiones de Communi Apostolorum *Sic nos existi-*

met, et in Officio S. Judæ lectiones de epistola ejusdem Apostoli. Lectiones secundi nocturni pro utroque Apostolo sumuntur de festo, quia separari non possunt hi duo Apostoli; idem valere videtur pro tertio nocturno. Oratio pro utroque Apostolo eadem est, suppresso alterius Apostoli nomine. — Idem valet quoad Missam, quæ legi potest pro utroque, Oratione, Secreta et Postcommunione mutatis.

701.—31 *Octobris*. In VIGILIA OMNIUM SANCTORUM, quando de ea fit Officium, aut commemoratio in Officio semiduplici, Suffragium omittitur. S. R. C. 22 Mart. 1912 ad II.

Festa Novembris.

Die 2 Novembris fit COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Prænotanda. — Si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, aut Festum duplex I classis, aut Festum de præcepto, Commemoratio Fidelium Defunctorum transfertur in diem sequentem, sub iisdem regulis.

Si vero in aliqua Ecclesia die 3 Novembris, in quam transferenda esset Defunct. Commem., occurrat Fest. II class., hoc Festum transfertur in primam diem liberam, juxta Rubricas. De aliquo festo inferioris ritus nihil fit. Conf. *Rubr. nov.* Tit. VII, 3.

702.—**Officium** Defunctorum hodie fit hoc modo:

Post II Vesperas Omnium Sanctorum dicuntur Vesperæ Defunctorum juxta rubricas Breviarii.(1) Deinde recitatur Completorium Defunctorum (omis-

(1) Si Commem. Omn. Fidel. Defunct. transfertur ad diem 3 Novembris, Vesperæ integræ absolvuntur de Dominica vel Festo dup. I et deinde fiunt Vesperæ Defunctorum modo supradicto.

so Completorio festi) juxta ordinem novi Psalt. cum Psalmis propriis.

Omisso toto Officio diei infra Octavam, fit totum Officium Defunctorum, ut habetur in novo Breviario,(1) videlicet.

Ad *Matutinum* omnia dicuntur ut in Officio Defunctorum circa finem Breviarii, exceptis Lectionibus, quæ sunt propriæ. Ultimum Respons. *Libera me . . . de morte.*

Laudes pariter fiunt ut in Breviario, omissis Psalmis 66, 148 et 149.

Ad *Primam* Psalmi in novo Breviario assignati dicuntur sine Antiphona. Expletis Psalmis flexis genibus dicitur *Pater noster* etc. ut habentur in novo Psalt.—In choro legitur Martyrologium præmisso *Hac die* etc. ut habetur in append. novi Psalterii. Reliqua dicuntur ut ibidem notantur.

Ad *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam* pariter sumuntur Psalmi proprii in novo Brev. assignati. Persolutis Psalmis dicitur *Pater noster* etc., ut suo loco habetur.

Officium Defunctorum terminatur cum Nona.

Vesperæ dicuntur, ut in I Vesp. Omn. Sanct. ritu semiduplici, nisi occurrat aliud Festum, de quo I Vesp. essent dicendæ cum commem. Omn. Sanct. e I Vesp. Festi.

NOTANDUM.

In Commemoratione omn. Fidelium Defunctorum nulla fit commemoratio ullius festi. Rubr. noviss. Tit. VII, 3.

703.—1. **Missa** prima inter Missas Defunctor. hodie celebranda est.—Quodsi in eandem diem incidat

(1) Si quis vetere Breviario utatur. supradicti Psalmi suppleri debent e fasciculo "Variationum."

dies obitus vel depositionis, Missa una exsequialis cantanda est, altera tamen non omissa pro omnibus Defunctis. Reliquæ Missæ vero dicantur ut in die Commem. Omnium Fidelium Defunctorum, etiamsi pro eodem defuncto applicantur, cujus exsequiæ fiunt.

2. Constitutione Apostolica diei 10 Aug. 1915, omnibus sacerdotibus indultum est, hodie tres Missas celebrare juxta Decr. 11 Aug. ordinandas, ea tamen lege, ut pro una tantum Missa stipendium accipi possit. Conf. *Addit.* n. 786.

703. bis—**Indulgentia plenaria**, solummodo animabus in purgatorio detentis applicabilis, hodie ab omnibus Christifidelibus qui confessi et S. Communione refecti sunt, *toties quoties* aliquam ecclesiam vel publicum aut semipublicum Oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, lucrifieri potest. S. C. S. Off. 25 Jun. 1914.

704.—In Communione extra Missam administranda in die Commem. omnium Fidelium Defunctorum colore violaceo aut albo utendum est. S. R. C. 19 Apr. 1912 ad X.—Ad concionem stola, si adhibeatur, coloris nigri esse censetur, quia est color officii diei.

705.—Si ea die habeatur Expositio pro Oratione 40 Horarum, Missa de Ss. Sacramento unica cantetur, reliquæ autem sint pro Defunctis in colore violaceo, sed non dicantur ad Altare Expositionis. Cf. n. 433.

NOTANDUM.

Occurrente, prima Feria sexta Novembris, Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum non licet Missam votivam celebrare de Ss. Corde Jesu. S. R. C. 3855 ad II. Cf. n. 270, *d*.

706.—5 *Novembris.* Festum SACR. RELIQUIARUM, ubi indultum, huic diei assignatum, Officium proprium habet.

707.—22 *Novembris.* In Officio de Cæciliæ, servanda sunt, quæ n. 458, notantur.

708.—23 *Novembris.* Quoad Festum S. CLEMENTIS, vide 458. Juxta noviss. edit. Brev., Lectiones I Noct. sumuntur de Script. occurrenti; Responsoria propria (olim I Noct.) dicenda sunt in II Nocturno.

De Festis "de Praecepto."

709.—1. *Motu Proprio* Pii X. diei Julii 2, 1911 *de præcepto* cum feriatione in universa Ecclesia celebranda sunt: "Omnes et singuli dies Dominicæ, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Almæ Genitricis Dei Mariæ, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium denique Sanctorum."

2. Ubi aliquod festum ex enumeratis legitime abolitum vel translatum sit, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctæ Sedi rem deferant.

3. Præterea eodem *Motu Proprio* indultum est, ut, si in aliquod ex festis supra memoratis dies incidat abstinentiæ vel jejunii, ab utroque dispensetur.

Festum Titularis Ecclesiae.

Inter Festa propria, quæ in Ecclesiis particularibus celebranda sunt, numerantur Festa Titularium et Dedicationis, Patronorum principalium Oppidi vel

Civitatis, Diœcesis, Provinciæ et Nationis, quæ omnia sub ritu duplici I classis—ideoque quoad Officium more festivo juxta normam n. 456—celebranda sunt. Hic vero de solo Festo Titulari et Dedicationis sermo erit.—Quoad cetera Festa memorata (si non agitur de Titulari propriæ ecclesiæ) notandum est, eadem a Clero seculari (et regulari Kalendarium proprium non habenti) cum Octava, ab aliis Regularibus ibi degentibus, sine Octava celebranda esse.

Quoad Regulares Festum Sancti Fundatoris et Festum Titularis Ordinis eaedem regulæ sequendæ sunt ac Titularis Ecclesiæ.

710.—REGULÆ GENERALES.

1. Festum **Titularis** Ecclesiæ sub ritu duplici I classis cum octava singulis annis celebrandum est in omnibus Ecclesiis vel Oratoriis publicis, quæ vel solemniter consecrata vel saltem benedicta sunt.

2. Officium integrum Titularis peragendum est a toto Clero, vel saltem a sacerdote Rectore tali Ecclesiæ vel Oratorio addicto. Defectu Cleri festum celebretur per solas Missas.

711.—Festum Titularis Ecclesiæ **Cathedralis** ab universo Clero totius Diœcesis ritu duplici I classis et tamquam primarium celebrari debet, a Clero sæculari cum octava, a Clero regulari proprio Calendario utente sine octava. S. R. C. 3863 et 4249, 2.—Eadem regula servanda est quoad festum Patroni Diœcesis. *Ibid.*

712.—In Oratoriis semipublicis festum Titularis non celebrabitur, nisi sint consecrata vel saltem solemniter benedicta.—Solum Oratorium principale

religiosæ Familiæ gaudet juribus Titularium, deficiente Ecclesia. S. R. C. n. 4193 ad III.

Privilegia liturgica Titulorum Ecclesiarum, videlicet Officium duplex I classis cum octava, nomen in Suffragio Sanctorum et in Oratione *A cunctis* in Missa, attribuenda sunt etiam Titularibus Ecclesiarum quæ *non* sunt consecratæ, sed tantum solemniter benedictæ. S. R. C. 3752 ad 1.

713.—Oratoria privata, quum non sint consecranda vel solemniter, sed tantum privatim (benedictione pro nova domo) benedicenda, privilegiis Titularis non fruuntur. S. R. C. 4025.

714.—Si Festum S. Titularis occurrat in Dominica in qua facienda est solemnitas alicujus Festi infra hebdomadam occurrentis, solemnitas Titularis transferenda est ad Dominicam subsequentem; sin vero Festum S. Titularis incidat infra hebdomadam ante prædictam Dominicam ejusdem solemnitas anticipanda est in Dominica antecedenti. Juxta S. R. C. 3299.

NOTANDUM.

715.—Titulus alicujus altaris fixi non potest commutari cum altero titulo, neque imago mutari, neque sufficit ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea retro in fenestra post altare applicetur. Ceterum tituli imago super altare absolute non præcipitur. S. R. C. 4191.

716.—REGULÆ PARTICULARES.

1. Quando Titulares vel Patroni loci alicujus habentur duo Sancti, quorum eadem die, ast sub ritu diverso, in Calendario universali fit Officium: "Si Sancti Titulares vel Patroni, de quibus agitur,

sunt æque principales, de ipsis simul agendum est eadem die et sub ritu classis quem Sanctis Patronis Rubricæ assignant."

Quando Patronus, aut Sanctus cujus insignis Reliquia habetur, describitur in Calendario cum aliis Sociis, qui separari possunt, separatio de Patrono, aut de Sancto cujus Reliquia servatur, agenda est. S. R. C. 4037 ad III.

2. Quando Titulares vel Patroni sunt duo Martyres, quorum eadem die Festum inscriptum est in Calendario Diœcesano, ast unius tantum Officium præscribitur in Calendario universali, Officium plurimorum Martyrum cum communi Oratione fieri potest.

3. Quando Ecclesiæ alicuius Patroni vel Titulares sunt duo Sancti, quorum Officium seu Festum distinctis diebus assignatur, eorum festa seorsim sub ritu duplici primæ classis cum octava recolenda sunt. S. R. C. 3622; 3386 et 3417. Conf. Pighi-Ferr. *Liturgia Sacerd.*, n. 172.

4. Si Ecclesiæ dicata sit *Infantiæ Jesu*, Festum Titularis celebrandum est die 25 Decembris, cum Officio ac Missa de Nativitate Domini. S. R. C. 3943.

5. Patroni ecclesiarum eligi non possunt *Beatificati* dumtaxat. S. R. C. 526, 1.—Neque potest pro Titulari alicujus Ecclesiæ assignari Festum quod neque in Martyrologio Romano, neque in Supplemento Diœcesis invenitur. S. R. C. 3876, 5.

6. Non licet Ecclesiam aliquam dicare sacratissimo Cordi Jesu Eucharistico ejusque tituli Imaginem seu Statuam in altari majori collocare, sed Ordinarius loci substituat titulum liturgicum, ex. gr., Ssmi Redemptoris, vel Sacratissimi Cordis Jesu, aut Ssmi Corporis Christi, etc. S. R. C. 28 Mart. 1914,

præhabitis Decretis S. U. I., 27 Maji 1891 et S. R. C. n. 810.

7. De Titulari definitive agi non potest ante erectionem Ecclesiæ. S. R. C. 3296.

717.—Observanda diversa.

1. Ubi Parochiæ ex variis et dissitis pagis formantur, quibus singulis annexæ sunt Ecclesiæ filiales quæ subditæ quidem jurisdictioni Parochi, ab Ecclesia vero parochiali independentes, sub separata et propria administratione, in quibus filiabus Ecclesiis unus idemque Sacerdos, Parochi coadjutor ab Ordinario deputatus, curam parochialem exercet:

a.) Parochus, qui in Ecclesia filiali nunquam officiis fungitur, non tenetur Titularem filialis Ecclesiæ cum octava et in Suffragio per annum celebrare, sed Ecclesiæ suæ parochialis tantum.

b.) Sacellanus Ecclesiæ filialis, si nunquam in ecclesia parochiali officiis ex obligatione fungitur, non Titularem Ecclesiæ parochialis, sed filialis cum octava et in Suffragio celebrare tenetur. S. R. C. 3952.

2. In Americanis missionibus Festum Patroni vel Titularis Ecclesiæ, sive consecrata est, sive tantum benedicta, celebrari debet sicut Festum primæ classis cum octava, tum quoad Missam, si in iis Ecclesiis commode celebrari valeat; tum quoad Officium, si vel saltem unus sacerdos, iisdem Ecclesiis sit adscriptus. S. R. C. 3278.

3. Missionarius pluribus Ecclesiis adscriptus, dum in una tantum proprie residet, "tenetur ad celebrandum Officium Titularis illius tantum Ecclesiæ, apud quam residere solet; vel dignioris." S. R. C. 3554; item 3571.

4. Ubi aliqua Religiosorum familia Ecclesiæ publicæ est addicta, talis communitas tenetur ad Officium Patroni hujus Ecclesiæ et per totam octavam. S. R. C. 3397 ad 4.

718. — De **Officio** FESTI TITULARIS observanda sunt sequentia:

1. Officium est duplex I classis cum Octava. Si Festum pro universa Ecclesia inter secundaria recensetur, fit *per accidens* primarium.—Officium in ipso Festo *tantum* recitatur modo festivo. Cf. n. 456.

Quodsi Officium in Breviario non habetur, sumatur de Communi.

Lectiones I Nocturni, si propriæ non habentur, sumuntur de Communi, non de Scriptura occurrente.

Lectiones II Nocturni, si propriæ non adsunt sive in Proprio Sanctorum, sive in Appendice, seligendæ sunt e Communi Sanctorum, juxta qualitatem festi.

Lectiones III Nocturni respondere debent Evangelio in Missa.

Diebus infra Octavam, si de Titulari fiat Officium, et in ipsa die Octava, etiam si sit Festum Domini (e. g. Ss. Cordis Jesu) Officium recitatur modo ordinario, juxta n. 457. Conf. n. 455.

Lectiones II et III Noct. infra octavam, si non habeantur, suppleantur ex Octavario Romano; quod si de est, de festo.

2. *De commemoratione Festorum occurrentium*, in ipso Festo, vide n. 477; diebus infra Octavam, n. 482; in die octava, n. 483. Quoad Vesperas, n. 488.

3. De die Octava, quæ est duplex majus, si occurrat in quacunque Dominica, etiam si Titularis sit Festum Domini non privilegiatum, non fit Officium, sed commemoratio tantum.

4. Octavæ omnino cessant a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis, a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Ss. Trinitatis, et a 17 usque ad 25 Decembris. Post diem Nativitatis Dni Octavæ non impediuntur Octavæ particulares. S. R. C. 28 Oct. 1913, II, 4.

5. De Suffragio *vide* n. 498.

719.—De Missa Festi Titularis.

1. Per totam Octavam in Missa dicitur *Gloria* et *Credo*, Missis privatis votivis et de Requie exceptis.

2. In Festo ipso, si occurrat Dominica minor, festum duplex (majus vel minus), festum semiduplex, dies infra aliquam Octavam II vel III ordinis, vel feria major, de hisce Officiis fit commemoratio in Missa juxta Rubricas.

3. In Festis duplicibus et semiduplicibus infra Octavam occurrentibus fit commem. octavæ, et in semidupl. additur tertia Oratio, juxta n. 134, 1.

4. Occurrente festo dup. I vel II classis, commemoratio octavæ omittitur.

5. In Vigiliis et Feriis Quattuor Temporum vel Feria II Rogationum, quæ veniunt infra Octavam de qua fit officium, Missa dicenda est de Vigilia vel Feria cum commem. Octavæ. *Rubr. Mis.* Tit. III, 2.

6. Dies octava est duplex majus. De quocunque Festo duplici, sive majori, sive minori vel inferioris ritus eo die occurrenti fit commemoratio. Sin autem dies octava cujusvis Titularis occurrat in festo duplici I vel II classis, vel in Dominica quacunque fit tantum commem. diei octavæ. *Noviss. Rubr.* Tit. n. 2.

Festum Dedicationis Ecclesiae.

720.—OBSERVANDA quoad **Consecrationem** ipsam:

1. Episcopus Ecclesiam consecraturus, Parochus, Sacerdotes utrique assistentes, postquam Nocturnos cum Laudibus de Communi Martyrum quæ præscripta sunt, recitaverint, postridie tenentur etiam recitare Officium diei currentis. S. R. C. 3532 ad II.

2. "Decet ut ex usu passim recepto Sacerdotes deferentes feretrum Reliquiarum in Consecratione Altarium sint sacris vestibus induti." S. R. C. 3364 ad V.

3. Quando agitur de consecranda aliqua ecclesia, celebranda sunt Vigiliæ ante Reliquias Ss. Martyrum, quæ in altari consecrando includentur. Matutinum et Laudes Officii plurimorum Martyrum sunt recitanda sub ritu duplici cum Oratione 3° loco *Deus qui nos*, omisso verbo *annua*. S. R. C. 18 Aug. 1913. Psalmi (cum Antiphonis, et Versibus) hujus Officii sumuntur de eodem Communi, non de novo Psalterio.

N. B.—Ea quæ observanda sunt quoad Officium et Missam post peractam Consecrationem ipso die Consecrationis, inveniuntur sub nn. 276-279.

721. — Quoad **Festum Dedicationis** ECCLESIÆ notanda sunt sequentia:

1. Dedicatio Ecclesiæ ejusque anniversarium est festum Domini. S. R. C. 3881, 1.

2. Dedicatio et Anniversarium propriæ Ecclesiæ est Festum primarium aliis quibuscunque locorum Festis, etiam Patroni et Titularis præferendum, tam in occursu quam in concursu. Ratione feriationis autem, ubi tale festum *de præcepto* in foro cele-

bratur, anniversario Dedicationis præferri potest. *Ibid*, ad 2.

3. Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ *non* propriæ est festum secundarium. Ibid. ad 3.

4. Quodcunque Anniversarium Dedicat. Ecclesiæ Festis solemnioribus universalis Ecclesiæ, etiam dignitate posthabita, cedit quoad concurrentiam et occurrentiam. *Ibid.* ad 4.

5. Episcopo consecranti jus inhæret—in ipso actu consecrationis — seligendi diem pro Anniversario quotannis celebrando, exceptis duplicibus I et II classis universalis Ecclesiæ, Dominicis privilegiatis, et duplicibus I classis Ecclesiarum particularium. *Ibid.* ad 5.

6. Quodsi alicui Diœcesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum (exclusa Ecclesia Cathedrali) uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus Indultum favet, præfatum Festum semel celebrare debent sub ritu duplici I classis cum octava, dummodo Ecclesia propria consecrata sit. S. R. C. 28 Oct. 1913. I, 1, f.

7. ANNIVERSARIUM DEDIC. ECCLESIÆ CATHEDRALIS sub ritu dup. I cl. cum Octava semper separatim et tamquam primarium celebrandum est per totam Diœcesim ab universo Clero sæculari et etiam regulari Kalend. diœcesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Diœcesi commorantibus ac proprium Kalend. habentibus, pariter sub ritu dup. I cl., absque tamen Octava. Const. Apost. cit. Tit. IX.

NOTANDA.

1. Si contingat, ut duo Anniversaria Dedicationis

concurrant, Oratio *Deus qui invisibiliter* pro commemoratione alterius Anniversarii sumenda est. Conf. Rubr. Brev.

2. Si alicubi Anniversariam Dedicationis propriæ Ecclesiæ et Cathedralis eodem die occurrant, Cathedralis Anniversarium transfertur juxta Rubricas, n. 475.

722.—In Oratoriis semipublicis consecratis, nisi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebratur (ut supra n. 6. dictum est), singulis annis de Anniversario Dedicationis fieri debet, sicut in aliis Ecclesiis consecratis. S. R. C. 3471.

723.—Regulares, qui Calendarium proprium habent, et jam celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis, tantummodo celebrent Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis (non autem Regni vel Diœceseos), dummodo Ecclesia propria (vel Oratorium semipublicum sit consecrata. S. R. C. 28 Oct. 1913, I, 1, f.—Iidem Regulares pariter celebrare debent sub ritu Duplici I classis sine octava Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis. S. R. C. 3861 ad I. Cf. supra n. 721, 7.

OBSERVANDA.

724.—Duodecim cerei ante cruces in parietibus depictas et consecratas ardere debent in Anniversario Ecclesiæ consecratæ "per integrum et solum diem incipiendo a primis Vesperis;" die octava cerei pariter accendi *possunt*, at *non debent*. S. R. C. 3876 ad VI et VII.

725.—Nullibi licet in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ propriæ Missam de Requie, præsente quidem cadavere, decantare. S. R. C. 3541. (Decr. gen.) Cf. n. 291, *d*.

AD RITUALE PERTINENTIA.

OBSERVANDUM.—*In novissima editione anni* 1913 *non paucæ mutationes a S. R. C. factæ sunt.* (Conf. Edit. Frid. Pustet.)

De Baptismo.

NOTITIÆ AD FONTEM SPECTANTES.

726.—Aqua Fontis baptismalis renovanda et solemniter benedicenda est non solum in Sabbato sancto, sed etiam in Vigilia Pentecostes. Cf. n. 609 et 635.

Si Sabbato sancto nova Olea nondum advenerint Parochus infusionem Oleorum omittat, illa subinde privatim et separatim in Aquam cum precibus Missalis infusurus; quod si, aut statim sit Sacramentum Baptismi conferendum, aut attentis circumstantiis difficulter nova Olea recipi posse videantur, Oleis anni superioris utatur, et Aqua sic benedicta conservari debet usque ad Vigiliam Pentecostes, etiamsi nova Olea supervenerint. S. R. C. 2436, 3; 2773, 1 et 2; 3092; 3879.

NOTANDA.

1. Quodsi tempore intermedio Aqua tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta

admisceri potest, in minore tamen quantitate: item in minore quantitate tempore hiemali aqua naturalis tepefacta admisceri potest Aquæ baptismali in vasculo ad id parato, ne noceat infantulo. Pighi *Lit. Sacr.* n. 30.

2. Baptismus collatus cum Aqua corrupta validus est, sed illicitus. In tali casu aqua naturalis præferenda est, providendum tamen renovationi Aquæ Fontis baptismalis juxta Rituale Romanum. C. S. O. 17 Apr. 1839.

3. Altera Benedictio Fontis habetur in Rituali Romano Tit. II. Cap. 7. Hæc forma adhibenda est extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes, quando Aqua consecrata non habetur, quum scilicet hæc corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit.

Notitiæ ad Ritum generatim spectantes.

727.—1. Locus baptismi solemnis regulariter est ecclesia, in qua fons sacer reperitur constitutus nec potest esse sacristia sine rationabili causa. S. R. C. 3104, 9.

N. B.—Fons baptismalis claudatur clavi. Clavis vel duæ claves a parocho vel ejus vicario custodiantur. De Herdt III, n. 154.

2. Si sacerdos baptizet in casu necessitatis, extra ecclesiam, debet omittere omnes cæremonias, quæ baptismum præcedunt, etiamsi infantulus tamdiu victurus videatur. Collato autem baptismo—stola alba indutus—debet eum in vertice ungere chrismate si habeat, imponere vestem albam et candelam accensam præbere.—Cum autem convaluerit infans, præsentandus est in ecclesia *ibique* supplendæ sunt

omissæ cæremoniæ, quæ baptismum præcedunt. S. R. C. 2607. Conf. Marc. *Instit. mor.* n. 1488.

Baptismus de licentia Episcopi seu Ordinarii domi collatus, extra mortis periculum et urgentem necessitatem, cum omnibus cæremoniis Ritualis Romani administrandus est. S. R. C. 17 Jan. 1914.

N. B.—Si sacerdos vel diaconus privatim baptizet, adhibenda est aqua baptismalis e fonte delata, nisi necessitas urgeat; si clericus diacono inferior vel laicus baptizat, aqua sit simplex seu communis, vel potius, si haberi potest, aqua munda benedicta pro aspersione fidelium. *Ephem. Lit.* 25 (1911) p. 613.

3. Baptismus conferendus est in lingua latina. Interrogationes vero fiant in lingua latina et repetantur in lingua vernacula. S. Offic. 23 Aug. 1886.—DeHerdt (vol. III, n. 160 ad finem) addit: Interrogationes in lingua vulgari fieri posse, si, vel habeatur Indultum, vel adsit legitima consuetudo.

NOTANDUM.

Amen non est addendum formulæ baptismi. S. R. C. 3014, 2.

Quoad Baptismum Infantium.

728.—Observanda sunt sequentia:

1. In locis Missionum, ubi Catholici haud raro in magna distantia (v. g. decem vel viginti milliaribus geographicis) habitant, et translatio infantium in tenera ætate magnis periculis et incommodis obnoxia est, Baptismus ritu Ecclesiæ consueto in privatis domibus ministrari potest. S. R. C. 3234, dub. 3.

2. Non licet infantulis baptizandis nomen imponere obscœnum, fabulosum aut ridiculum, vel inanium deorum, vel impiorum hominum. "Quodsi puerum baptizandum deferens nolit prorsus eum

baptizari, nisi imposito impii alicujus nomine, non ideo fas est Baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito submissa voce nomine alicujus Sancti." Ita C. S, Off. Jun. 1883. Marc. *Inst. mor.* 1489.

3. Si plura nomina baptizando imponuntur, solent communiter pronuntiari omnia nomina prima vice, in ipso Baptismatis momento, et quum dimittitur baptizatus; reliquis vicibus primum tantum nomen pronuntiatur. Martinucci *Man. Ss. Cær.* l. 4. c. 1.

4. In administrando Baptismate infantibus genus est variandum pro diversitate sexus, etiam ubi talis variatio in rituali non indicatur. S. R. C. 3582 ad 2.

5. In Baptismo parvulorum accipiens de saliva oris sui et tangens aures et nares infantis adhibendus est pollex. S. R. C. 3368 ad 3.

6. Sal benedictum quod traditur infantulis debet esse bene confractum et attritum instar pulveris, ne noceat infantulo, mundum et naturale, non mixtum; —non potest esse sal exorcizatum ad benedicendam aquam, sed benedictum sua peculiari benedictione;— quod nemini tradi debet. Van der St. IV. q. 74.

7. Curandum est, ne aqua ex capite baptizati defluens in fontem refluat, sed vel in sacrarium vel in aliquod vas fluat.

NOTANDUM.

Quando, casu necessitatis, infans in utero baptizandus est, adhibere licet aquam cum hydrargyro bichlorato corrosivo (*chloride de mercure, Quecksilberchlorid, Sublimat*) permixtam, ne matris uterus morbo afficiatur. Hæc aqua componitur unius partis hujus chloreti hydrargyrici in mille partibus aquæ. Hunc usum licitum esse, ubi verum adest morbi periculum, declaravit S. O., 21 Aug. 1901. Conf. Marc. *Instit. mor.* n. 1454.

Notanda sunt QUOAD BAPTISMUM **Adultorum:**

729.—Ritus baptizandi parvulos absque Indulto non potest adhiberi ad baptizandos adultos. S. R. C. 3051, 3.

Non licet interrumpere cæremonias Baptismi solemnis adultorum ad explicandas vernacula lingua hasce cæremonias. S. R. C. 3496.

730.—Notanda quoad NEO-CONVERSOS.

1. Quomodo agendum sit, si de adulto baptizando agatur, qui in fide Catholica instructus, omnique sectæ vel impiæ pravitati alienus, parentum incuria infans non baptizatus fuerit, utrum Ordo Baptismi Parvulorum adhibendus sit, an potius Ordo Baptismi Adultorum, a sacra Universali Inquisitione, nondum decisum est. Auctores nonnulli censent, si omittantur monita *Horresce*, nihil occurrere in Ordine Baptismi Adultorum, quod absonum audiret in Baptismo talis hominis. Van der Stappen IV. n. 118.

2. In reconciliandis hæreticis triplex distinguitur modus procedendi: *a.*) Si prior baptismus *certo* validus judicatus fuerit, "*sola* recipitur *abjuratio*, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur." S. C. Officii 20 Jul. 1859.—*b.*) Si de prioris baptismi nullitate constet, baptismus *absolute* confertur, nec ulla sequitur abjuratio. —*c.*) Si baptismus sit *sub conditione* iterandus, 1) fiat abjuratio seu professio fidei coram duobus testibus, juxta formam a S. Officio præscriptam; 2) sequatur baptismus conditionatus; 3) impertiatur conditionata censuræ absolutio, et 4) peragatur sacramentalis confessio cum absolutione peccatorum pariter conditionata.

N. B.—Qui debent sub conditione baptizari, "*poterunt* ad majorem functionis ecclesiasticæ facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad eorum

culparum accusationem. Deinde, post collationem baptismatis *sub conditione*, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum pœnitente iis, de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter *sub conditione.*" (S. Offic. 1 Nov. 1875.)

3. Si acatholicus in *articulo mortis* ad fidem catholicam redire voluerit, debet coram duobus testibus professionem fidei emittere, saltem quoad ea, quæ sunt explicite credenda de necessitate medii et præcepti. Atque hic conversionis actus in publico statim instrumento describendus est, ut ita omnes adversariorum cavillationes præcaveantur. — Post hæc rite disponendus est moribundus per actus fidei, spei, caritatis, doloris ac propositi; deinde, peracta confessione, absolvatur ab excommunicatione et a peccatis, ac postremo Ss. Viatico et extrema unctione reficiatur.

Ita Marc *Institut. Moral.* n. 18833 et 1834.

Communio Infirmorum.

731.— Notanda sunt sequentia:

1. Ordinarie Ss. Sacramentum ad Infirmos deferri debet nonnisi modo solemniore in Rituali præscripto, tit. IV, cap. IV, n. 6-10. In regionibus autem, ubi id fieri nequit, Apostolica facultate indultum est, ut Ss. Sacramentum deferatur occulte sine lumine. Sacerdos sub veste civili saltem stola albi coloris indutus sit et Ss. Sacramentum reconditum habeat in pyxidula in bursa alba collo pendente.

2. Apud Infirmum omnia peragenda sunt juxta ritum in Rituali descriptum.

3. *a.*) Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum præceptum paschale.

b.) Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri* etc.

c.) Minister infra Missam in casu *Confiteor*, et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare, more solito, non vero prope infirmum. S. R. C. 4193, ad IV.

4. Si infirmus S. Viatico muniendus est, sacerdos Corpus Dni porrigens sequentem formulam adhibeat: *Accipe, frater* (vel *soror*), *Viaticum corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam æternam. Amen.*

5. Omnibus, quæ habentur in Rituali, expletis, si altera particula Ss. Sacramenti superfuerit, Sacerdos genuflectit, surgit et accipiens vas cum Ss. Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum nihil dicens. Sin autem altera particula non supersit, Sacerdos infirmum cum manu benedicit dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris* ✠ *et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.* Rit. Rom. l. e. n. 20 ei 24. Pighi-Ferr. *Lit. Sac.* n. 500.

732.—Infirmi, qui non versantur in periculo mortis ideoque Viatico muniri nequeunt, S. Communione ordinarie jejuni recipere debent. Attamen per Decretum S. C. Conc. 7 Dec. 1906 concessum fuit "ut infirmi, qui jam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio Ss. Eucharistiam sumere possint semel vel bis in hebdomade, si agatur de infirmis, qui degunt in piis

domibus, ubi Ss. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missæ in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid *per modum potus* antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et S. R. C. ad rem præscriptis."

OBSERVANDUM.

Verba *per modum potus* juxta declarationem S. O. (4 Jun.1893 et 7 Sept. 1897) ita intelligenda sunt, ut ægrotus"sumere liceat jusculum (*broth*, *bouillon*, *Fleischbrueh*e) cafæum, aliosque cibos liquidos, quibus admixta sit aliqua substantia, v. g. farina, panis rasus etc., dummodo mixtio naturam cibi liquidi non amittat." Et nomine infirmorum qui a mense decumbunt comprehenduntur quoque ex decl. S. O. diei 6 Martii 1907, qui "quamvis gravi morbo correpti et ex medici judicio naturale jejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt. Cf. Marc. *Instit. moral.* n. 1560, 3.

De Extrema Unctione

733.—Notanda sunt pauca, quia regulariter sacerdos ordinem Ritualis sequi debet.

1. Quodsi accidat, ut in imminenti mortis periculo infirmus ungendus est, utatur hac formula: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Quam formam S. O. die 25 Aprilis 1906 "in casu necessitatis sufficere" declaravit. Hinc si ægrotus supervivat, unctiones non sunt repetendæ sub conditione, sed sunt supplendæ orationes omissæ. Conf. Marc. *Instit. moral.* n. 1877, 9. 2.

2. Si pluribus simul in uno cubiculo, e. g. in nosocomiis, Extrema Unctio administratur, preces ante et post unctionem semel recitentur in plurali, unicuique autem Crux osculanda porrigatur, et unctiones cum formis super singulis repetantur. Si preces istæ in plurali commode recitari nequeant, sufficit easdem in singulari numero pronuntiari, quia singulariter de unoquoque seorsum sumpta etiam intelliguntur. De Herdt III, 207 et 209. Cf. Wapelh. n. 291, 6.

3. Apud Wapelhorst, n. 292, accurrate exponitur quomodo Extrema Unctio administranda sit in morbis contagiosis aliisve difficultatibus.

De Benedictione apostolica.

734.—In articulo mortis ad impertiendam Indulgentiam plenariam, hæc notanda sunt:

1. Formula Benedicti XIV., quæ in Rituali habetur, omnino *sub pœna nullitatis* ahhibenda est.

2. Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos Benedictionem impertiatur infirmo, incipiens a verbis *Dominus noster* etc. et si mors proxime urgeat, dicat: *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris et Filii* ✠ *et Spiritus Sancti. Amen.*

3. Si pluribus simul decumbentibus hæc benedictio impertienda est, preces, quæ formulam præcedunt, semel pro omnibus, formula ipsa autem pro singulis pronuncianda est.

4. Benedictio hæc in eodem morbo, quamvis protracto, *semel* tantum valide impertiri potest, neque a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus. —Indulgentia semel in mortis articulo lucrari potest, neque animabus defunctorum applicabilis est.

5. Si Benedictio impertiatur immediate post extremæ Unctionis administrationem, et tempus urgeat, *Confiteor* non repetendum est, C. S. O. 1 Sept. 1851 Quebecen.

Conf. Beringer, *Die Ablæsse*, edit. 12, pag. 477, ubi res ex integro tractatur.

De Exsequiis Adultorum.

735.—OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Concio funebris, si habeatur. fiat ante Absolutionem "vestibus nigris, i. e. sine cotta et stola." S. R. C. 2888; si concionator sit Regularis, in veste Religionis suæ.—Si Episcopus præsens sit benedictio ab eo non petitur, sed facta ei profunda reverentia, signans se signo crucis concionator faciet sermonem. Cær. Ep. lib. II, c. XI, n. 10.

2. In exsequiis absente corpore, et in die 3, 7,30 et anniversario absolutio non est de præcepto, sed ad arbitrium sacerdotis, nisi ex alia ratione fieri debet.

3. Absolutio peragi potest tantummodo post Missam de Requiem, vel post Officium Defunctorum, non post aliam Missam.

4. Responsorium *Libera me* non est incipiendum a choro, antequam Sacerdos pluviali fuerit indutus.

736.—ABSOLUTIO CORPORE PRÆSENTE POST MISSAM.

1° Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare, si defunctus non est sacerdos; presbyteri vero habeant caput versus altare. Circa corpus cerei accenduntur. (*Rit. Rom.*)

2° Pallia aut alia altaris ornamenta, etiam candelabra ad ornamentum feretri, vel tumbæ adhiberi non permittitur. (Rit. Rom.)—Hæc prohibitio multo magis ad manipulos et stolas aliaque sacrorum ministrorum paramenta censeri debet esse extensa *juxta Caval.*—Gardellini permittit birretum, stolam nigram vel violaceam, non ad ornandum feretrum, sed ad dignitatem defuncti demonstrandam, si iste erat sacerdos.

3° Finita Missa sacerdos se retrahit ad cornu epostolæ. De Herdt explicat hanc Rubricam Missalis: Debita ante medium altaris facta reverentia (cum ministris sacris) per gradus laterales in planum ad cornu epistolæ descendit. Ibi depositis casula et manipulo accipit pluviale nigri coloris et, si pluviale non adest, cum alba et stola accedit ad absolutionem.

4° Subdiaconus medius inter duos acolythos cum candelabris accensis defert crucem, præcedentibus duobus aliis acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, et sistit se ad caput defuncti, medius inter dictos acolythos tenentes luminaria. (*Mis. et Rit.*)

N. B.—Post Missam exsequialem Absolutio fieri debet per ipsum sacerdotem qui celebravit Missam, non per alium sacerdotem. Hoc jure gaudet tantum Episcopus Ordinarius in sua diœcesi. S. R. C. 3029 ad 10.

5° Sequitur Celebrans facta prius altari reverentia cum diacono a sinistris eius. *Juxta Caval. et alios*

Sacerdos ad feretrum aut tumulum procedit capite cooperto illudque aperit ad absolutionem. Sistit se contra crucem ad pedes defuncti, aliquantulum versus cornu Epistolæ (scil. si stat inter feretrum et altare), retro adstantibus ei a sinistris duobus acolythis cum thuributo et navicula incensi, atque vase aquæ benedictæ et aspersorio, et acolytho alio tenente librum. (*Missale et Rituale.*) Deinde

6° Celebrans absolute dicit orationem *Non intres*, quæ semper dicenda est, ut jacet, etiam in funere mulierum. S. R. C. 2355. Deinde cantore repetente *Libera me*, ponit incensum in thuribulum, ministrante diacono seu acolytho non osculante cochlear nec manum, benedicens illud more solito. (*Missale.*)

7° Finito Responsorio cantor cum primo choro dicit *Kyrie eleison*, et secundus chorus respondet *Christe eleison*, deinde omnes simul dicunt: *Kyrie eleison.* Mox Sacerdos dicit alta voce: *Pater noster*, quod secreto dicitur ab omnibus. (*Rituale.*)

8° Interim Sacerdos accipit a diacono vel acolytho aspersorium et, facta altari reverentia, comitante diacono seu ministro a dextris et tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circumiens feretrum, corpus defuncti aspergit, ter a parte dextra (i. e. incipiens a *sua* parte dextra, ut habet Cæremon. Episc.) et ter a sinistra (1° initio, 2° in medio, 3° in fine lateris, explicat DeHerdt.)—Cum transit ante crucem profunde inclinat, diaconus (vel acolythus) comitans vero genuflectit, et si transit ante Sacramentum ipse genuflectit. Postea de manu diaconi (vel acolythi) accipit thuribulum, et eodem modo quo asperserat, incensat. (*Missale et Rit. Rom.*)

9° Rediens ad pristinum locum, diacono (acolytho vel alio ministro) tenente librum, junctis manibus

dicit: *Et ne nos inducas in tentationem*, etc., cum oratione: *Deus cui proprium est*, in qua dicitur *pro anima famuli tui N. Sacerdotis*, si defunctus fuerit sacerdos (*Rit. Rom.*) Post hanc orationem non dicitur *Requiem æternam.*, etc., quia nec Missale nec Rituale hoc habet, sed omnes statim redeunt ad sacristiam. Ant. *In paradisum* dicit (nisi cantatur) sacerdos in via, si ipse funus comitatur, cum cæteris ad sepulchrum, uti habentur in Rituali: Et in fine, cantato *Benedictus* cum Ant., ad *Requiem æternam,* facit signum crucis manu dextera super cadaver.

N. B.—Si sepulchrum jam est benedictum omittenda est ejus incensatio, non autem aspersio aquæ benedictæ, juxta Rit. Rom.

Si vero sacerdos funus non comitatur, dicitur vel cantatur Ant. *In paradisum* cum omnibus, quæ sequuntur in Rituali, usque ad finem, (excepta benedictione sepulchri,) in ipsa ecclesia, priusquam revertitur in sacristiam. S. R. C. 2696, 1.

737.—SI SEPULTURA FIT SINE MISSA, omnes preces, a *Subvenite* usque ad orationem *Fac quæsumus*, cum Versiculis et Responsoriis sequentibus dicuntur, etiam si sacerdos funus non comitatur, quum Rituale dicat: *Aliæ prædictæ preces et suffragia nunquam omittantur*, etiam si officium defunctorum non dicitur.

738. — ABSOLUTIO POST MISSAM SINE MINISTRIS SACRIS.

1° Ad absolutionem tres vel quattuor, si haberi possint, requiruntur ministri, scilicet unus defert crucem, quæ tamen deficiente ministri in basi collocari potest, alter ministrat aspersorium, tertius incensum et thuribulum et quartus, si habeatur,

librum tenet et ministrat. Si haberi possunt, duo adhibeantur acolythi cum luminaribus, qui cruciferum comitentur.

2° Celebrans peracta Missa ad absolutionem induit pluviale nigrum, ut supra notatum est, sed, si non habeatur tale pluviale, deposita planeta et manipulo, ad tumulum procedit. Si indutus sit pluviali, minister eum comitatur et pluviale elevat dum funus circuit, aspergens illud vel thurificans.

739.—Absolutio facienda absente corpore Defuncti et in die III, VII, XXX ac anniversario.

Post Missam omisso *Non intres* cantabitur *Libera* etc. aliaque peragenda sunt sicuti præsente corpore, sed finita Oratione, Celebrans facit crucem manu dextera super tumulum, ut Missale præscribit.

NOTANDUM.

Non intres in judicium semper dicendum est in exsequiis alicujus Summi Pontificis, Cardinalis, seu Metropolitani aut Episcopi proprii, etc. in principio absolutionis post Missam solemnem faciendæ, sive cadavere præsente, sive absente. (Cær, Ep. l. II, c. 11; § 13. et Pont. Rom. p. III.) Item quotiescunque Episcopus pro Defunctis celebrat, etiam in anniversario pro ultimo defuncto Episcopo (Cær. Ep. l. cit. et c. 36. § 3.) Cf. Schob. *Mis. sol.* p. 193, 5.

740.—Sepultura Sacerdotum.

In exsequiis defunctorum sacerdotum Rituale servandum est, sicut in aliis. Corpora autem sacerdotum in ecclesia et in sepulchris ponuntur cum capite versus altare. Præsente (etiam moraliter præsente, S. R. C. 4034, 3.) denique corpore sacerdotis, crucifer se sistit ad caput defuncti inter

feretrum et altare, et Celebrans ad pedes inter feretrum et portam ecclesiæ; absente autem corpore, crucifer se semper sistit inter feretrum et portam ecclesiæ et Celebrans inter altare et feretrum.—In sepultura Episcoporum, fiunt quinque absolutiones. (Pont. Rom.)

N. B.—Sacerdos defunctus induatur vestibus sacerdotalibus cum planeta violacea, vel (juxta DeHerdt III, 221), coloris nigri. Alii clerici induantur juxta suum ordinem. Cf. Rit. Rom. Tit. VI, cap. I, 11-14.

Circa Exsequias Adultorum et preces quæ post sepulturam passim lingua vernacula recitari solent consulatur Wapelh. 305.

741.—PERACTA post Missam cantatam ABSOLUTIONE, Celebrans addit: *Anima ejus* (vel *animæ eorum) et animæ omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* Deinde in reditu ad sacristiam Celebrans dicit, voce submissa sed intelligibili: *Si iniquitates*; tunc alternatim cum choro Ps. *De profundis,* et in fine *Requiem æternam*, etc. cum oratione *Fidelium Deus*, ut habentur in novo missali pro defunctis post orationes diversas pro defunctis in Absolutione supra tumulum.

Supradictæ preces recitandæ sunt post Absolutionem, sive Missa celebrata sit pro uno, sive pro pluribus defunctis, corpore sive præsente sive absente; in die autem Commemorationis omnium fidelium defunctorum *Animæ eorum* etc. Ant. et Ps. *De profundis* omittuntur. S. R. C. 4014. Cf. Schob. *Missa sol.* p. 198.

Observandum.—In Festis solemnioribus, si exsequiæ faciendæ sint, fieri debent hora pomeridiana post Festi Vesperas, sacris functionibus non im-

pedita, neque licet campanas pulsare pro funeribus. Idem valet pro Triduo Sacro. S. R. C. 3570, 1; 3946; 4029, 4.

De Exsequiis Parvulorum.

742.—Observationes præviæ.

1. Parvuli non baptizati in loco benedicto sepeliri nequeunt: eorum corpora tamen sine ullis precibus sepeliantur in loco honesto.

2. Baptizati, qui usus rationis capaces fuerunt, etsi annum septimum nondum attigerunt, sepeliendi sunt more adultorum.

3. Baptizati, qui ante usum rationis, seu annos discretionis, de quibus videlicet jure merito, ratione ætatis, vitæ innocentia præsumitur, defuncti sunt, more parvulorum sepeliendi sunt.—Sub nomine parvulorum etiam comprehenduntur perpetuo amentes septennio majores. Van d. Stapp. IV. q. 289.

743.—Quoad Ritum.

1. Ubi sacerdote concomitante corpus defuncti ad ecclesiam indeque ad tumulum defertur, ritus Ritualis Romani sequendus est.

2. Si funus ad ecclesiam afferatur sine processione, et sine præsentia sacerdotis, officium sepulturæ incipit in ecclesia. Sacerdos superpellicio et stola alba indutus recitat Antiphonam *Hic accipiet* cum Ps. 23. *Domini est terra;* deinde dicit *Kyrie eleison* etc. *Pater noster* secreto, aspergit corpus in medio, a sinistris et a dextris suis, non circuiens feretrum.

Facta aspersione dicit *Et ne nos inducas* etc. cum ceteris versiculis et Oratione *Omnipotens*.

Tum Sacerdos, si funus non comitetur ad tumulum, in ecclesia recitat Antiphonam *Juvenes* cum Psalmo

Laudate Dominum de cœlis etc., *Kyrie*, versiculis et Oratione.—In hoc casu quæritur, utrum aspersio et thurificatio quæ ad tumulum fieri nequit, facienda sit in ecclesia. Juxta Cavalieri recte corpora parvulorum asperguntur et thurificantur, ne eis penitus denegetur thuris honor, qui eo magis digni sunt ut cœlorum incolæ.

744.—De Missa celebranda.

Rituale nihil dicit de Missa celebranda in sepultura parvulorum. Pietas autem fidelium morem induxit in aliquibus regionibus, Missam votivam celebrandi de Angelis. Hæc autem Missa nullo gaudet privilegio, ideoque celebrari debet juxta Rubricas Missæ votivæ privatæ, conf. n. 227-243 et n. 253. Quandocunque Rubricæ obstant Missa de festo occurrente dicenda est juxta Ordinem.

De Matrimonio.

745.—Excerpta Decreti, diei 2 Aug. 1907, S. Congreg. Concilii "Ne temere," quæ legis reformatæ tenorem exhibent:

De Sponsalibus.

I.—Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quæ contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et, vel a parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Ad sponsalium validitatem in scriptura est apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni. S. C. Conc. 27 Jul. 1908 ad II.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in scriptura adnotetur; et alius testis addatur,

qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet.

Sponsalia, præterquam coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruæ commorationis, non possunt celebrari coram ab alterutro delegato. Possunt autem celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii ejusdem Ordinarii vel parochi. S. C. Conc. 30 Mart. 1908 ad VI et VII.

II.—Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime præest parœciæ canonice erectæ; sed in regionibus, ubi parœciæ canonice erectæ non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et parocho æquiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De Matrimonio.

III.—Ea tantum matrimonia valida sunt, quæ contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, juxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quæ infra n. VII et VIII ponuntur,

IV.—Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

1° a die tantum adeptæ possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

2° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

3° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

Ordinarii et parochi etiam *implicite* "invitati ac rogati," dummodo tamen "neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum," valide matrimoniis adsistere possunt. Wouters, *Commentar.* p. 43.

V.—Licite autem adsistunt,

1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de jure servandis;

2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

Ad licitam matrimonii celebrationem habenda est ratio dumtaxat menstruæ commorationis, non autem quasi-domicilii. S. C. Conc. 30 Mart. 1908 ad V.

3° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quæ ab ea excuset.

4° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsæ parocho celebretur, nisi aliqua justa causa excuset.

VI.—Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII.—Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiæ et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII,—Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense jam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

NOTANDA

In locis dissitis, ad quæ missionarius singulis mensibus non venit—in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi—matrimonia contracta sine missionarii seu parochi præsentia declarantur invalida. S. C. Conc. 27 Julii 1908 ad V.

Ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus missionarii per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest, conditio rerum de qua in Art. VIII decreti agitur, non interrumpi vel mutari dicenda est. S. C. Conc. 27 Jul. 1908 ad VI.

IX.—1° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui ejus vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario præscriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

2° Præterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, conjugem tali die in sua parœcia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

3° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum conjugium in præscriptis libris quamprimum adnotetur.

X.—Parochi qui heic hactenus præscripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpæ puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra præceptum § 2. vel 4. num. V, emolumenta *stolæ* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI.—1° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex hæresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

NOTANDA.

Decreto *Ne temere* non adstringuntur catholici ritus orientalis. S. C. Conc. 25 Jan. 1908. ad I.

Etiam in imperio Germaniæ catholici, qui ad sectam hæreticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem Catholicam ab ea postea, etiam in juvenili vel infantili ætate, defecerunt, decreto *Ne temere* subjiciuntur. Ib. V.

2° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis, sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem

ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

3° Acatholici sive baptizati, sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.(1)

N. B.—In hoc articulo conprehenduntur etiam schismatici et hæretici rituum Orientalium. S. C. Conc. 30 Mart. 1908 ad II.

Hæc lex vigere incepit a die Paschæ (i. e. 19 Aprilis) 1908.

NOTANDA circa Celebrationem Matrimonii.

746.—Matrimonium in facie Ecclesiæ seu in Ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vititum est locorum Ordinariis ut, si nullum emineat periculum ac laudabiles concurrant causæ, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat.

Item in dictis oratoriis Missa nuptialis celebrari potest, servatis Rubricis. S. R. C. 3265.

747.—Missa votiva pro Sponso et Sponsa dici et in ea benedictio nuptialis fieri potest etiam in casu quo Sponsi infra hanc Missam sacram Communionem non percipiant; curent tamen Parochi et animarum Rectores adhortari fideles nupturos, ut in Missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent. S. R. C. 3329.

748.—Si plurium copulatio eodem tempore fit, accepto primum singulorum consensu et ritè celebratis singulis matrimoniis, dicta pro singulis for-

(1) Ludov. Wouters, *Commentarius in Decretum "Ne temere"* hanc rem egregie dilucidat.

mula: *Ego vos conjungo* etc., benedictio annulorum et reliquæ benedictiones fiant in communi per verba generalia. S. Off. 1 Sept. 1841.

Preces tamen leguntur ut in Missali, non in plurali. (Marc. n. 2079.)

749.—"Benedictio nuptialis consistit in Orationibus, quæ habentur in Missali: *Propitiare, Domine etc.* et *Deus qui potestate etc.* dicendæ ante *Libera nos etc.*; nec non *Deus Abraham etc.* dicenda ante benedictionem." S. R. C. 3798 ad III.

750.—Heterodoxi non sunt adhibendi ad testimonium in matrimonio Catholicorum. Potest tamen ab Ordinario tolerari, ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum. S. Off. 19 Aug. 1891.

751.—Utrum licite assistat Sacerdos ad nuptias acatholicorum, necne, controvertitur. Hæc quæstio fusius discutitur in *Ecclesiastical Review*, vol. VIII, pag. 420. et sqq.

Missa pro Sponso et Sponsa.

Regulæ servandæ:

752.—Non licet celebrare Missas pro Sponso et Sponsa, neque ejusdem Missæ commem. facere, neque benedictionem impertire nupturentibus.

Tempore Clauso, sc. a prima Dominica Adventus usque ad festum Epiphaniæ inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive.

Quodsi ex aliqua rationabili causa nupturientibus concedenda est facultas tempore clauso Matrimonium ineundi, et, si tali tempore Missa postulatur, celebranda est Missa diei *sine* benedictione Sponsorum infra Missam, et *sine* commemoratione pro

eis.—Tempore vetito autem elapso tum Missa tum benedictio suppleri potest. Cf. *N. B.* ad n. 4, infra.

753.—1. NON LICET CELEBRARE MISSAS pro Sponso et Sponsa, sed ejus commemoratio fieri debet in Missa diei, sub distincta conclusione post alias orationes rubricis præscriptas, sed ante imperatas, diebus infra enumeratis, quibus diebus impertienda est etiam benedictio post *Pater noster*, et ante *Placeat.*

a.) In omnibus Dominicis,

b.) In festis de præcepto, et in omnibus festis I et II classis.

c.) Infra Octavas Epiphaniæ, Pentecostes et Corporis Christi.

d.) In Vigilia Pentecostes.

N. B.—In Vigilia et festo Pentecostes cum duobus sequentibus diebus commemoratio pro sponsis, juxta Schober et Carpo, sub unica conclusione facienda videtur. Conf. Wapelh. 299 ad 2.

e.) In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum (2 vel 3 Novemb.), quum omnes Missæ de Requie celebrandæ sint, Missa pro sponso et sponsa, ejusque commemoratio prohibetur. Conf. recent. Rubr.

f.) In iis ecclesiis parochialibus in quibus una tantum Missa celebratur, prohibetur hæc Missa votiva diebus Rogationum, si habeatur Processio.

2. Extra tempus clausum Missa pro sponsis dici potest in feriis Quattuor Temporum et Vigiliis, quibus diebus aliæ Missæ votivæ privatæ prohibentur, juxta S. R. C. 8 Feb. 1913, ad III.—Hisce diebus in Missa pro sponsis ultimum Evangelium vel de Feria vel de Vigilia legendum est. Cf. n. 184 et 243.

3. Diebus non prohibitis Missa pro Sponso et Sponsa celebratur tamquam Missa votiva privata, (etiamsi celebretur in cantu et cum solemni apparatu,) sine *Gloria* et sine *Credo*, cum 3 Orationibus, 2 et 3 Oratio de die occurrente.

Si vero Missa pro Sponsis celebretur in Festo ritus duplicis, fiunt tantum commemorationes occurrentes et omittitur tertia oratio de tempore. S. R. C. 24 Maji 1912.

Præfatio communis dicenda est, nisi tempus vel aliqua octava vel festum, quod commemoretur, propriam postulet.—*Benedicamus Domino* et ult. Evang. S. Joannis *In principio* dicenda sunt, nisi casus occurrat de quo supra (2) dictum est.—In cantu tonus ferialis adhibeatur.

4. Missa hæc non licet celebrari, si mulier est vidua, quæ benedictionem nuptialem jam accepit; quodsi nondum acceperat, vel si sit corrupta, benedictionem accipere potest et debet.

Si Missa celebranda sit pro nupturientibus, qui benedictionem accipere non possunt, expletis Matrimonii ritibus, alia Missa votiva pro eorum devotione celebretur, dummodo Rubricæ permittant.

N. B.—Benedictio nuptialis impertienda est omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo Matrimonio, quacunque ex causa, non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in Matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandi sunt iidem conjuges catholici, qui benedictionem sui Matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant; significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum

et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. S. C. S. Off. 31 Aug. 1881.

754.—Ritus Matrimonii.

1. Ad absolutionem ritus Matrimonii, si fit a sacerdote qui Missam pro sponso et sponsa celebraturus est, et si Missa immediate sequitur, Sacerdos præter Albam et Stolam induere debet Planetam (S. R. C. 3158, 3). Manipulus ponatur in altari ad cornu Evangelii, unde peracto Matrimonio illum assumit. Tum

Sacerdos ante Altare stans in medio suppedanei se convertit ad populum. Sponsi genuflectunt in extremitate anteriore suppedanei, vel super gradu superiore Altaris, sponsa a sinistris sponsi. Simul duo testes consistent pedibus prope sponsos. (Martinucci IV. 2.)—Tunc Parochus "Exhortationem ante matrimonium" lingua vernacula ex appendice Excerpt. Ritualis Rom. legere potest. Wapelh. n. 295.—Deinde Matrimonium juxta Rituale absolvit.—Annulum benedicit *ad altare conversus.*

Quodsi ritus Matrimonii peragatur sive absque Missa pro Sponsis, sive separatim a Missa, rubricis magis consentaneum est, ut nupturientes non ad altare accedant, sed ad concellos seu mensam Communionis genuflexi sistant.

Si desit annulus ejus benedictio omittitur, et sacerdos statim dicit *Confirma hoc Deus* etc. cum Oratione *Respice.* S. R. C. 3548.

2. Sacerdos non tenetur Missam, quam pro benedictione nuptiarum celebrat, pro sponsis applicare, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat.

3. Benedictionem Nuptiarum quæ infra Missam pro Sponso et Sponsa (scil. per orationes post *Pater*

noster et ante *Placeat*) habetur, extra Missam impertiri non licet. S. R. C. 3798, 4 et 3922, VI.; n. 4232.

4. Matrimonia mixta *extra ecclesiam absque parochi benedictione aliove ecclesiastico ritu* in loco tamen honesto, (e. g. in domo parochiali) celebrari debent. (Inst. Sedis Apost. 15 Nov. 1858.) Cf. DeHerdt III, 284.

Benedictio Mulieris post Partum.(1)

755.—1. Fieri *debet* a Parocho, si expetitus fuerit; *potest* fieri a quocunque Sacerdote, si pariter fuerit expetitus, in quacunque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiæ. S. R. C. 3813, 2.—Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus hanc functionem juxta ritum in Rituali præscriptum peragat.

2. Dari potest tantum iis catholicis mulieribus, quæ ex legitimo matrimonio pepererunt. Deneganda est illis quæ per fornicationem vel per adulterium pepererunt. Benedictio tamen legitime impertitur illi mulieri quæ per fornicationem vel adulterium concepit, dummodo subsequens matrimonium omnia ante partum sanaverit et purgaverit.

3. Non est deneganda Benedictio puerperæ, cujus proles mortua fuerit sine Baptismo. S. R. C. 3904.

4. Hæc Benedictio non potest dari nisi in Ecclesia, aut in Oratorio publico.

5. Quocunque tempore vel hora diei hæc Benedictio impertiri potest, sed mulieres, prout circumstantiæ et partus incommoda permittunt, elapsis aliquot a partu diebus sese præsentant.

---

(1) Conf. Van der St. IV. q. 336.

NOTANDUM.

Si quando occasione hujus benedictionis Missa petatur a muliere, convenit ut una ex quinque Missis votivis B. Mariæ V. in gratiarum actionem celebretur. *Ephem. Lit.* vol. 26, pag. 157.

De benedicendis Nuptiis Jubilaeis.(1)

756.—1. Anniversarium vigesimum quintum vel quinquagesimum nuptiarum licite et juste celebratur.

Conjuges ad altare vel ad cancellos accedunt. Celebrans indutus superpellico et stola alba vel paramentis ad Missam celebrandam requisitis præter manipulum, facta convenienti adhortatione, conjuges faciat propositum renovare permanendi cum pace divina usque ad mortem in societate connubii.

2. Junctis dein conjugum dextris benedicit eos dicens:

"Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper.

℟. Amen.

Ant. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Ps. 127. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

(1) Conf. Wapelh. n. 300, ubi auctor ritum hunc ex probatis precibus et benedictione supplet.

Uxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem, omnibus diebus vitæ tuæ, et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri etc.

Ant. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione lætos accedentes, et præsta, ut post hanc vitam ad æternæ beatitudinis gaudia (cum prole sua) pervenire mereantur. Per Christum etc."

Tandem aspergit eos more solito.

3. Missa dici poterit de die, aut votiva B. M. V. si per rubricas licet. Sub finem addi poterit *Te Deum*, cum versu et Oratione "pro gratiarum actione."(1)

---

(1) Tota ista benedictio, quamvis nullibi præscripta, omnino ritui Romano consentanea est, sed nonnisi honestis conjugibus et Matrimoniis catholicis concedenda.

RES DIVERSAE.

Sacramentum Ordinis.

756.bis—Ad ORDINATIONEM spectantia:

1. Color paramentorum pro Ordinandis in Sacris sit "color ipsius Ceiebrantis in Missa; nisi aliud postulat necessitas." S. R. C. 3832 ad VI.

2. "Si Ordinatio fiat in Sabbato Sancto dicendæ sunt Litaniæ in Missali assignatæ, addita, post ℣ *ut omnibus fidelibus defunctis*, invocatione, quam Episcopus proferre debet: S. R. C. 3731 ad VI.

3. Quoad commemorationem Simplicis in Ordinationis Missa, S. R. C. statuit (3642): "Si in Ordinatione dici debeat Missa de Festo occurrente, Affirmative (i. e. facienda est com. simpl.) Si vero Missa sit Ferialis, ut in Sabbatis Quattuor Temp. vel Sabbato *Sitientes*, hæc Missa nullam admittit Sanctorum occurrentium commemorationem." S. R. C. 3672 a*d* III.

4. In communicandis Neo-Presbyteris Pontifex omittat formulam *Corpus Domini Nostri* etc., et debet eosdem communicare antequam Diaconi et Subdiaconi dixerint *Confiteor*. S. R. C. 3721.

5. "Pro *Nocturno talis diei*," quem Episcopus ordinans Subdiaconis et Diaconis imponere solet, intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Nocturnus Festi, aut Dominicæ in Psalterio, prout Ordinatio in feria, Festo, aut Dominica habita sit." S, R. C. 4042 ad I.

NOTANDUM.

Neo-ordinati recitent impositum Nocturnum, omissis Invitatorio, Hymno et Lectionibus. S. R. C. 4042 et 4117.

757.—Quoad PRIMAM MISSAM notandum est:

1. Præter Ministros sacros Presbyter assistens cum pluviali permittitur in prima Missa novi Sacerdotis solemniter celebrantis, et, ubi talis consuetudo viget, uti potest stola vel a principio Missæ, vel a principio Canonis usque ad finem. S. R. C. 3515, 7; 3564, 2.

2. INDULGENTIÆ concessæ:

Ind. plen. pro omnibus consanguineis usque ad tertium gradum inclusive, dummodo confessi sint et sacra Communione refecti, et ad intentionem Summi Pontificis preces fundant.

Ind. Septem annorum et septem quadragenarum pro omnibus fidelibus primæ Missæ devote assistentibus, et ad intentionem Summi Pontificis precantibus.

De Reliquiis Sacris.(1)

758.—Reliquiæ non approbatæ (i. e. ab Ordinario non recognitæ) in ecclesia publice exponi nequeunt, ne quidem ornatus causa inter candelabra.

759.—INSIGNES Reliquiæ sunt corpus integrum, caput, brachium, crus aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr (S. R. C. 1333.), modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. His accensentur cor, lingua, manus, si ex miraculo intacta conserventur. (S. R. C. 4041). Pars autem capitis, tibia atque ossa femoris non habentur Reliquiæ insignes.

Episcopus ad Reliquias (Corpora) Sanctorum

---

(1) Hac de re consulenda sunt Adone. Lib. I. n. 436-508; DeHerdt II. n. 192-199; Wapelh. n. 253; Pighi-Fer. n. 304-311; Ephem. Lit. V. p. 304, 588.

alienandas aut extra diœcesim transferendas licentiam dare nequit. S. C. Indulg. 17 Nov. 1676.

N. B.—Reliquiarum thecæ ad modum ostensioli ex simplici et nudo ligno confectæ tolerari possunt. 3697 ad 14.

760.—S. Crucis Reliquia retinenda est separatim a Reliquiis Sanctorum, nec simul cum his venerationi exponenda. S. C. Ind. 22 Feb. 1847, 25 Maji 1906.

N. B.—Reliquia S. Crucis non supplet crucifixi imaginem in altari locandam. Cf. S. R. C. 4026 *Eph. Lit*, XXII (1908) p. 576.

761.—Reliquiarum **Cultus** in eo consistit,

a.) quod in ecclesiis publice et honorifice exponantur, sed (si excipias Reliquias S. Crucis) non sub baldachino nec super pallam;

b.) quod super altaribus collocentur, iisque includantur;

c.) quod in processionibus deferantur.

762. — Quoad **Expositionem** et VENERATIONEM Reliquiarum notanda suut:

1. In omnibus ecclesiis easdem exponere licet; sed Beatorum reliquias in illis tantum ecclesiis, in quibus Officium et Missa de iisdem recitari possunt, non autem licet tales reliquias in publicis supplicationibus processionaliter deferre.

2. Reliquiæ seu tabernacula cum Sanctorum reliquiis congrue disponi possunt alternatim inter candelabra; nunquam tamen super altari collocari possunt exposito Ss. Sacramento, neque unquam in medium candelabrorum seu in locum Crucis, neque super tabernaculum Ss. Sacramenti, licet non expositi, neque ante tabernaculi ostiolum et multo

minus exponi possunt in tabernaculo ad instar expositionis Ss. Sacramenti.

Si Reliquiæ alicujus Sancti, cujus festum celebratur, expositæ sint in altari Ss. Sacramenti, sacra Pyxis cum Ss. Sacramento vel per breve temporis spatium, exponi nequit, nisi remota Reliquia. S. R. C. 2779.—Exposito Ss. Sacramento, in aliis altaribus licet exponere Reliquias, omissis tamen benedictione et osculo Reliquiæ, quamdiu Ss. Sacramentum manet expositum. S. R. C. 4059 ad II.

3. Reliquiæ si exponantur, super Altare saltem ardeant duo lumina omnino oportet; alias Reliquiæ non exponantur. S. R. C. 2067 ad 9, 3029 ad 13, 3204.

4. Sacerdos Reliquiam expositurus, iudutus superpelliceo ac stola coloris convenientis, detecto capite, Reliquiam suæ thecæ inclusam et velo contectam deferens, adhibitis duobus clericis cum cereis, accedit ad Altare et facta reverentia, Reliquiam in suo loco collocat, et facta capitis inclinatione, ad infimum gradum genuflexus preces recitat congruentes.

5. In Missa coram S. Crucis Ligno palam exposito a Sacerdote genuflectendum est solum in accessu et recessu, et quoties transit ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione. S. R. C. 2722, 1.

6. Post Reliquiæ S. Crucis expositionem vel Processionem, quando Reliquia reponitur, populus cum ipsa per simplex Crucis signum benedicendus est. S. R. C. 2324, 1.—A Sacerdote in actu benedictionis cani non potest *Benedicat vos* etc. S. R. C. 2722, 3.

N. B.—In benedictione cum Ligno Ss. Crucis paramenta rubri coloris adhibenda sunt. S. R. C. 3256.

7. Si in loco principe Reliquia S. Crucis super Altari fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam, unico genu usque ad terram flexo illam venerari debent. S. R. C. 2722, 2.

763.—Quoad THURIFICATIONEM notandum:

Thurificatio Reliquiarum Sanctorum, nec B. Mariæ V., nusquam præscribitur, quamvis aliis rubricis insinuari videtur. Reliquiæ autem S. Crucis et aliorum Instrumentorum Passionis triplici ictu incensari debent a Sacerdote stante, facta antea et postea genuflexione. Si Reliquia Crucis in altari exposita est, ubi Missa solemnis celebratur, debet incensari *simul* cum Imagine Crucifixi. S. R. C. 4026, 1.

764.—Reliquia S. Crucis, non autem Reliquiæ Sanctorum *sub baldachino* processionaliter deferri licet. Sacerdos Reliquiam S. Crucis deferat contectam extremitatibus veli humeralis rubri coloris, præcedentibus acolythis cum thuribulis fumigantibus. S. R. C. 2854, In Feria VI Parasceves adhibetur pluviale cum stola nigra. S. R. C. 3466, 1. (Processio est extra-liturgica.)

765.—Quoad OSCULATIONEM notanda sunt:

a.) Dum Reliquiæ deosculandæ præbentur dici potest: *Per merita et intercessionem Sancti* N. *concedat tibi* (vel *vobis*) *Dominus salutem et pacem:* et ad venerationem Reliquiæ S. Crucis "*Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster*" vel "*per Crucem et Passionem suam concedat*, etc,"; ad Coronam spineam: "*Per passionem*, etc."; ad reliquias præsepis Domini: "*Per Nativitatem*, etc."

b.) Expleta Missa privata, Reliquiæ deosculandæ præberi possunt a Sacerdote sacris adhuc induto paramentis. S. R. C. 2704, 5.

De Litaniis.

766.—"Litaniæ tantum, quæ habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolico Sede approbatis," publice recitari valent in Ecclesiis vel Oratoriis publicis. S, R. C. 3820.

Approbatæ sunt Litaniæ sequentes:

Litaniæ Sanctorum,

Litaniæ B. Mariæ V.,

Litaniæ Ss. Nominis Jesu,

Litaniæ Ss. Cordis Jesu (S. R. C. 4017),

Litaniæ S. Joseph (S. R. C. 18 Mart. 1909.)

LITANIÆ PECULIARES quæcunque in Ecclesiis et Oratoriis publicis a pluribus conjunctim recitari non possunt. S. R. C. 3916, 3917, 3980. Quæ prohibitio tamen non includit privatam earum cantationem vel recitationem etiam in Choro vel Oratorio publico. S. R. C. 3981 ad 1.

767.—OBSERVANDA diversa:

1. Litaniæ SANCTORUM, quæ Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes canendæ sunt, extra hos dies decantari nequeunt. S. R. C. 2709, 9.

2. In decantandis Litaniis Sanctorum solummodo Sabbato Sancto, in Vigilia Pentecostes, Festo S. Marci et feriis Rogationum, (ut dicitur n. 596 et 619.) tum Invocationes tum Responsiones integræ a cantoribus et choro cantandæ sunt. Aliis temporibus, ut ad Devotionem 40 Horarum et ad Sacras Ordinationes, solæ Responsiones dicuntur a choro.

3. Litaniæ LAURETANÆ concludendæ sunt uti in Appendice Ritualis Romani, omissis *Christe audi nos, etc.*; versiculus autem, responsorium et Oratio post dictas Litanias mutari possunt pro temporis diversitate.—Oratio ad S. Joseph in fine Litaniarum Lauretanarum adjungi potest, juxta prudens arbitrium Episcopi. S. R. C. 7 Dec. 1900. Acta S. Sed. vol 33, p. 632.

4. In cantandis Litaniis B. M. V. plures Invocationes sub uno responso conjungi possunt, quin Indulgentiæ amittantur. Usus in Urbe prævalet. Conf. *Ephem. Lit.* an. 1888 p. 681.—Litaniæ Lauretanæ cantari possunt per trinas invocationes, populo quartam respondente. S. R. C. 6 Dec. 1901. Acta S. Sedis, vol. 34, p. 377.

Ad Ordinarios spectat "alias (præter-liturgicas et in publicis functionibus recitandas) seu novas Litanias examinare, et quatenus expedire judicaverint, approbare: at nonnisi pro privata atque non-liturgica recitatione." S. R. C. 3555.

De Indulgentiis.

De CONFESSIONE et COMMUNIONE.

768.—1. Pro lucranda Indulgentia Jubilæi, sive ordinarii sive extraordinarii, Confessio et Communio aliaque opera præscripta fieri debent intra tempus præfinitum.

2. Pius X (23 Apr. 1914) indulsit, ut ad lucrandas indulgentias sufficiens habeatur confessio sacramentalis ultimo octiduo ante diem pro lucranda indulgentia designatam peracta, dummodo tamen

non oporteat, ut, secundum prudens confessarii judicium, aliquis ex christifidelibus aliter se gerat.(1) Communio jam *pridie* fieri potest, Visitatio ecclesiæ aliquo tempore a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem ipsius diei Indulgentiæ peragi debet. Conf. n. 769, 1.

3. Confessio, ubi speciali modo præscribitur, fieri debet etiamsi pœnitens nullius peccati lethalis reus sit. Absolutio tamen in hoc casu non stricte requiritur.

4. Pius X. decr. S. C. Ind. 16 Feb. 1906, omnibus qui in statu gratiæ cum recta mente ad S. Communionem quotidie accedunt, etiamsi una alterave vice infra hebdomadam receptionem omittunt, indulsit, ut omnes Indulgentias lucrentur, quin ad confessionem singulis hebdomadibus peragendam adstringantur.

De aliis concessionibus specialibus vide Beringer.

5. Ad lucrandas Indulgentias, quæ adnexæ sunt certis pietatis exercitiis sive per integrum mensem, sive per novem dies, sive generaliter alicui dierum numerum persolutis, Confessio et Communio fieri possunt intra octiduum quod ultimum definiti termini diem subsequitur.

Visitatio ecclesiæ et supplicationes ad intentionem Summi Pontificis faciendæ vel inter ipsa exercitia, vel potius die, quo Sacramenta recipiuntur, peragi valent.

6. Communione tempore paschali recepta, quamvis sit de præcepto, Fideles lucrari possunt Indulgentias, quæ tali vel subsequenti diei concessæ sunt. —Sine speciali tamen indulto eadem communio non sufficit ad præceptum paschale implendum simulque Indulgentiam sacri Jubilæi lucrandam.

(1) Acta Ap. S, VI, p. 308.

7. Una *Confessio* sufficit ad lucrandas plures Indulgentias isti diei vel *octo* subsequentibus diebus assignatas, dummodo aliæ conditiones pro singulis Indulgentiis impleantur. Una Communio sufficit ad lucrandas plures Indulgentias.

8. Communio non necessario in illa ecclesia recipienda est cujus visitatio præscribitur, nisi talis conditio in concessione exprimatur.—Qui autem die Indulgentiæ in illa ecclesia, cujus visitatio præscribitur ad sacram mensam accesserit, simulque ad Deum devote oraverit, omnibus conditionibus, communioni, visitationi ecclesiæ et devote effusis supplicationibus satisfecit.

9. Indulgentia plenaria de *Portiuncula* dicta,(1) diei 2 Augusti annexa, quæ animabus purgatorii applicari et (iteratis Ecclesiæ visitationibus et precibus) *toties quoties* lucrifieri potest, requirit, ut Confessio a 24 Julii ad 2 Augusti inclusive peragatur, S. Communio die 1 vel 2 Augusti et ecclesiæ (cui ista Indulgentia concessa est) visitatio aliquo tempore a meridie 1 Augusti usque ad mediam noctem diei sequentis fiat. Qui tamen Christifideles quotidie ad S. Communionem accedunt, etiam hanc Indulgentiam lucrari possunt absque speciali Confessione,(2) Cf. supra 4.

10. Ægroti, qui impediuntur quominus sacram communionem recipiant et ad ecclesiam accedant, indulto S. Sedis anni 1862, aliis operibus a confessario designatis easdem Indulgentias lucrari valent.—Idem indultum anno 1886 concessum est

(1) Privilegium Indulgentiæ Portiunculæ hodie non solum ecclesiis Ordin. S. Franc., inhæret, sed etiam aliis ecclesiis concedi solet.

(2) Vide Beringer, *Die Ablæsse*, Der Portiuncula Ablass.

ægrotis atque infirmis vel senio confectis, qui in religiosis communitatibus vivunt.

11. Moribundi qui in articulo mortis sacram Communionem recipere non possunt, plenariam Indulgentiam lucrari possunt, dummodo sanctissimum nomen Jesu contrito corde invocant, si ipsum ore pronunciare nequeunt.

Beringer, *Die Ablæsse*, edit. 13. pag. 82-86.

769.—Decisiones recentiores.

1. Tempus intra quod ecclesia vel oratorium publicum ad lucrandam aliquam Indulgentiam visitari debet, decreto S. Off. diei 26 Jan. 1911, determinatur a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem diei constituti.

2. In domibus piarum communitatum, asylorum, et aliarum in quibus viget vita communis et exstat oratorium semipublicum auctoritate Ordinarii erectum, omnes inquilini talium domorum hoc oratorium visitando Indulgentias respectivas lucrari possunt, dummodo alicujus ecclesiæ determinatæ visitatio non sit præscripta. Pius X. 14 Jan. 1909. Acta Ap. Sed. I 210.

3 Ubi visitatio propriæ ecclesiæ parochialis assignatur extranei, qui suam propriam ecclesiam adire non valent, Indulgentias lucrantur visitando ecclesiam parochialem loci, ubi morantur. Acta S. Sed. XXXVIII, 351.

4. Sacerdotes, quibus potestas facta est in fine concionum, benedictionem cum Indulgentiæ plenariæ favore populo impertiendi, benedicere debent cum Crucifixo, adhibita formula: "Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti de-

scendat super vos et maneat semper. ℟ Amen." S. R. C. 4265, 3.

5. Si Tertiariis Ord. Frat. Min. Indulgentia plenaria impertienda est, et circumstantiæ ita postulant, sufficit, ut Sacerdos immediate post sacramentalem absolutionem, hac formula utatur: "Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus sancti. Amen." Beringer, *Formulare* 3 Theil pag. 41.

6. Benedictionem objectorum religionis determinans Decretum S. Cong. S. Officii, 18 Maji 1914, declarat: "In benedicendis pluribus similibus aut diversis religionis objectis, quæ sacerdoti, pluribus munito facultatibus, conjuncta vel commixta offeruntur, atque in ipsis, vigore diversarum facultatum, indulgentiis ditandis, sufficere *unicum* signum crucis pro pluribus benedictionibus atque indulgentiarum adnexionibus."—Hæc declaratio non extendatur ad metallica numismata scapularibus substituenda.

Supra memorata numismata tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, quibus pro lubitu petentium suffici velit. Singulæ benedictiones separatim *unico crucis signo* impertiri possunt, vel statim post regularem impositionem scapularis sive serius pro petentium opportunitate.

N. B.—Quum facultas benedicendi talia numismata decreto diei 16 Dec. 1910 ad quinquennium tantum concessa sit, dubitatur, an talis facultas prorogetur.

770.—Quoad Indulg. Altaris Privilegiati notandum: Iis diebus quibus Missæ privatæ *ad libitum* legi possunt vel de Festo, vel de Feria, vel de Vigilia, ad hanc Indulgentiam lucrandam non

amplius requiritur, ut Missa legatur de Feria vel Vigilia cum Oratione propria defuncti sed "laudabiliter fieri licet et decet, pietatis gratia erga defunctum." C. S. Off. 20 Feb. 1913.. Cf. n. 219, 6.

771.—Indulgentiæ partiales, si nulla in ipsarum concessionibus mentio fiat, an *pluries* in die lucrifieri possint, semper *toties* acquiri possunt, *quoties* preces vel opera iterantur. S. C. S. Off. 25 Juni 1914.

De Translatione Indulgentiarum.

772.—Pius IX decreto *Urbis et Orbis* diei 9 Aug. 1852, benigne indulsit, "ut omnes indulgentiæ, quæ hucusque quibusdam festis concessæ fuerunt ac in posterum concedentur, vel quæ pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessæ fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illæ concessæ in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel ejus octavario perdurante, translatæ intelligantur pro eo die, quo festa hujusmodi etiam QUOAD SOLEMNITATEM et EXTERNAM CELEBRATIONEM, non vero quoad Officium et Missam, in aliquibus locis vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit." Beringer, Edit. 13. pag. 108.

Via Crucis.[1]

773.—Ubi VIA CRUCIS ERIGI POTEST? Resp. In Ecclesiis; in Oratoriis publicis et semipublicis; in cœmeteriis, in Oratoriis privatis, quæ privilegio Missæ gaudent; extra Ecclesias et Oratoria, Via Crucis erigi potest, in locis communibus conventuum, conservatoriorum, hospitalium, dummodo hæc loca sint decentia et usui profano non deserviant, etiam in locis sub diu, modo ædiculæ pro singulis stationibus erectæ cancellis tutentur, ne animalia aut homines ingrediantur. In capellis privatis et cellis domesticis, facultate celebrationis Missæ carentibus, modo non pro dormitorio aut alio usu domestico vel profano destinata sint, cum speciali Indulto Apostolico Via Crucis erigi potest.

774.—Licet quoque in eodem loco, præsertim in Conventibus, conservatoriis plures Stationes Viæ Crucis erigere.

Quis VIAM CRUCIS ERIGERE POTEST?

775.—Facultas erigendi Viam Crucis *ex potestate ordinaria*—privativa quoad alios quoscunque—competit Ordini Minorum S. Francisci sive observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum, non autem Conventualium et Capucinorum, ita ut propria auctoritate Viam Crucis erigere possit: 1.) Minister Ordinis S. Francisci Generalis, qui etiam facultatem delegare potest Episcopis et aliis Ordini-

(1) Excerpta potissimum e *Commentario in Facultates Apostolicas* concinnato a Jos. Putzer, C. SS. R. n. 205-208. Quod opus non republicatum jam rarius haberi potest.—Conf. de hac materia Beringer, S. J. *Die Ablæsse* n. 379.

bus religiosis cum potestate subdelegandi; 2.) Superiores locales tantum Ordinis S. Franc. propria auctoritate Viam Crucis erigere possunt, vel aliquem subditum ejusdem Ordinis, sive concionatorem, sive confessarium delegare.

776.—Facultas erigendi Viam Crucis delegari solet sive ab Apostolica Sede, sive a Ministro Generali Ordinis S. Francisci, sub conditione: *dummodo in loco non exsistat Ordo S. Francisci*, nisi per speciale Indultum ab interventu PP. Franciscanorum in loco degentium dispensetur.

Episcopis in Statibus Fœderatis Americæ Septent. ista facultas concessa est sub hac forma: "Erigendi in locis suæ diœcesis, in quibus non adsint PP. Franciscales, pium exercitium Viæ Crucis cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quæ Summi Pontifices ejusmodi exercitium peragentibus impertiti sunt, addita insuper potestate hanc facultatem communicandi Presbyteris sacro ministerio fungentibus."

QUID REQUIRITUR ad Viam Crucis **valide** erigendam?

777.—Facultas, si est subdelegata aut communicata, haberi debet *in scriptis*—(Pro Religiosis, quorum Superiores obtinuerunt facultatem etiam pro suis subditis, sufficit testimonium ab iisdem Superioribus subscriptum);

Si obtenta est a S. Sede aut si Sacerdos non-Franciscanus eam acquisivit a Magistro Generali Franciscanorum, præcipitur, ut ante ejus usum exhibeatur Ordinario in casu quo erectio fit in loco ejus jurisdictioni subdito.

778.—*Antecedenter* ad unamquamque erectionem *consensus specialis* et *in scriptis* obtineri debet ab illis quibus obligatio incumbit in Viæ Crucis legitimam erectionem atque honestam conservationem invigilandi, scil.: 1. Episcopi et Parochi quoad Ecclesiam parochialem; — 2. Episcopi, Parochi et Superioris (resp. Superiorissæ) Ecclesiæ, Monasterii, Conservatorii, Hospitalis, loci pii, quæ subsunt jurisdictioni Episcopi, si ibi erigenda est Via Crucis; attamen si talia instituta independenter a Parocho per Capellanum diriguntur, Parochi consensus non requiritur;—3. Episcopi tantum, non autem Parochi, consensus requiritur pro erectione in oratorio domestico, sive cum sive sine privilegio celebrandi Missam;—4. pro erectione Viæ Crucis in locis exemptis a jurisdictione Ordinarii, ut in Ecclesiis, oratoriis, locis internis Ordinum exemptorum, licet ea fiat vi facultatis Episcopi in scriptis communicatæ nec Ordinarii nec Parochi consensus requiritur. Ex paritate rationis tamen consensus Superioris quasi-episcopalem potestatem habentis in scriptis requiri videtur, si fit ab habente facultatem delegatam.

NOTANDUM.

Viæ Crucis erectio, si Parochus vel Superior consensum quidem *ante* erectionem præstiterunt, non tamen *in scriptis*, nisi post erectionem, invalida est. S. C. Ind. 26 Sept. 1892 ad 10 et 3 Aug. 1748. ap. Coll. Prop. n. 1064.

779. — In casu vero renovationis qualiscunque Stationum Viæ Crucis antea cum omnibus illis documentis rite erectarum præfata documenta non sunt denuo postulanda, dummodo præsumi possit

perseverare consensum eorum, ad quos pertinet, et sufficit novarum Crucium benedictio facta a sacerdote ad id legitime deputato.

780.—Adhibendæ sunt 14 Cruces *ex ligno* omnino confectæ *sub pœna nullitatis*.

1. Etsi Imagines non requirantur, ex laudabili tamen consuetudine applicantur. Cruces generatim super imagines ponuntur, licet etiam subtus poni possint. Indulgentiæ crucibus tantum annexæ sunt; imagines benedicere licet, at Cruces *necessario* benedici debent.

2. Sacerdos Cruces benedicens moraliter præsens esse debet in loco ubi Stationes Viæ Crucis eriguntur. Benedictio vel *ante* vel *post* affixionem Crucium fieri potest.

3. Sacerdos ipse non tenetur Cruces suis locis collocare, sed alius quicunque privatim sine cæremoniis, etiam alio tempore Cruces affigere potest.

In affixione crucium aliqualis inter unam et aliam Stationem distantia requiritur. Via Crucis non necessario a cornu vel Evangelii vel Epistolæ inchoatur, sed expedit omnino cavere, ne figuræ in imaginibus retrorsum procedentes videantur.

781.—Stationes Viæ Crucis in *alium* locum prorsus separatum transferri non possunt, quin Indulgentiæ amittantur. Sed in casu Ecclesiæ ex toto reædificatæ fere in eodem loco et sub eodem titulo, privilegium Viæ Crucis transfertur sine nova erectione. (1)—Cruces si omnino vel ex majore parte pereant, erectio iterum necessaria est.—Si ex minore parte pereant, licet alias substituere *sine* ulla bene-

(1) S. Cong. Ind. 7 Jun. 1905. *Amer. Eccl. Review* 33. p. 409.

dictione. — Si ex aliqua ratione ita tollantur, ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione nec benedictione opus est ad Indulgentias lucrandas.— Eædem Cruces possunt etiam mutari de loco in locum in *eadem* Ecclesia pro earum meliore dispositione.

II. Facta erectione Viæ Crucis, non quidem de valore, sed ad dubia præcavenda a Sacerdote benedicente testimonium seu instrumentum conficiendum est de actu authentico Erectionis. Quod una cum legitima deputatione et consensu Ordinarii, Parochi, Superiorum, prout casus exigit, in scriptis obtento, in archivo parœciæ vel loci respectivi, transsumptum (copia) autem in Curia Episcopali diligenter asservetur, aut vicissim.

782.—Demum notandum, per PP. Leonem XIII. 31 Julii 1883 et 7 Aprilis 1894 ac demum Rescripto 27 Maji 1902 omnes ubique erectiones usque tum invalide factas convalidatas et sanatas esse. Patet tamen ex Decr. auth. n. 261, in casu sanationis ea quæ suppleri possint esse supplenda.—Pariter PP. Pius X die 27 Julii 1911 similem sanationem concessit ad preces Procur. Gen. Ordinis Fratr. Min.

783. — Quid ad lucrandas **Indulgentias** viæ Crucis requiritur:

N. B.—Indulgentiæ Viæ Crucis sunt plurimæ tum plenariæ, tum partiales, quoad numerum determinatum autem ignotæ, omnes animabus in purgatorio applicabiles.

Conditiones requisitæ ad eas lucrandas sunt: *a.*) Meditatio — aliqualis et pro captu— Passionis Dni saltem in genere, ad quam pro simplicibus sufficit, ut sciant Cruces, quas visitant, repræsentare

loca, ubi Christus passus est et ut compassionem habeant cum eo.—*b.*) MOTUS LOCALIS de una statione ad aliam, quantum multitudo populi et angustia loci permittit. In publico autem exercitio, quando, perturbatio excitari potest, sufficit, ut Sacerdos cum duobus Clericis circumeat et ad quamlibet stationem consuetas preces recitet, ceteris in suo loco respondentibus. Suadetur tamen hoc in casu, ut hi ad singulas stationes se erigant et genuflectant cum Sacerdote.—*c.*) VISITATIO quattuordecim stationum uno tractu et sine notabili interruptio facta, qualis interruptio non esset auditio Missæ, sumptio Eucharistiæ, Confessio etc. — Aliæ preces, utut suadendæ, pro indulgentiis non requiruntur. Lucrifieri possunt etiam noctis tempore, an autem toties quoties per diem iteretur, ex documentis non constat.

INDULTUM.—Ii qui infirmitate aut alia justa causa impediuntur quominus Stationes Viæ Crucis obeant, virtute Indulti Sanctæ Sedis, easdem Indulgentias lucrari possunt, si manu tenent Simulacrum Crucifixi[1] a sacerdote facultatem habent in hunc finem benedictum, præscriptas preces, 20 *Pater*, 20 *Ave* et 20 *Gloria* cum contrito corde devote recitantes. —Sin autem infirmus ob gravem morbum impar sit prædictas preces recitare, sufficit ut *semel* actum contritionis recitet, vel invocationem: *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Quodsi infirmus loquela deficiat,

---

(1) Sola crux sine figura Redemptoris non sufficit. Crucifixus sit ex aurichaleo vel alia materia non fragili, non autem ex stanno vel plumbo.

mente saltem sequatur recitationem ab alio factam trium *Pater*, *Ave*, *Gloria.*(1)

N. B.—Aliæ quæcunque hujus modi concessiones, nominatim, quæ *Coronas* quas vocant *Viæ Crucis*, respiciunt, decreto S. Cong. S. Off. diei 24 Julii 1912 revocatæ sunt.

De Indultis particularibus.

784.—Quoad MISSAS DEFUNCTORUM.

Diversis Provinciis vel Diœcesibus hujus regionis a Sancta Sede varia Indulta concessa sunt ad celebrandas Missas de Requie præter dies a Rubricis statutas. De hisce Indultis consulendæ sunt Facultates, quæ a respectivis Ordinariis communicantur.

Sacerdotes Regulares, qui in talibus Diœcesibus sacrum ministerium exercent, uti possunt tum Indultis proprio Instituto concessis, tum illis quæ in respectiva Diœcesi vigent, nisi in ipsis Indultis aliqua limitatio exprimatur.

785.—Quoad MISSAM VOTIVAM B. MARIÆ V. vel de Requie quotidie celebrandam.

Sacerdotes, qui hoc Indulto gaudent has regulas sequi debent:

1. Omnibus diebus, excepto Triduo Sacro, Indulto uti possunt.

2. Diebus tantum quibus Missæ privatæ de Requie permittuntur, Missam pro Defunctis, i. e. *Quotidianam* cum tribus Orationibus, in vestimentis nigris dicere valent.

---

(1) Conf. Putzer, *Comment.* n. 210; et Beringer, op. cit. (ed 12.) p. 354.

3. Missa votiva B. Mariæ V., de qua Indultum agit, est una (generatim quinta) ex quinque Missis B. M. V., quæ in Missali inter Missas votivas habentur.—Sacerdos potest Missam illam legere, quæ Tempori convenit.

4. Missa hæc votiva[1] semper in paramentis albis celebranda est,

a.) sine *Gloria*, etiam in Festis solemnioribus et infra Octavas Festorum B. M. V.—*Gloria* dicitur tantum in Sabbatis;

b.) cum tribus Orationibus: 2 Oratio est de Spiritu Sancto, 3 Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa;

c.) sine *Credo*, etiam in Dominicis et Festis solemnibus;

d.) cum Præfatione: *Et te in Veneratione;*

e.) *Benedicamus Domino* dicitur, excepto Sabbato, quo die dicendum est *Ite Missa est.* Conf. n. 242.

5. Sacerdos indultarius Missam de Festo in Festis B. M. V. legere potest, si valet, juxta ordinem seu directorium.

6. In Nativitate Domini unam tantum Missam de B. Maria V. votivam legere potest, nisi velit vel possit tres Missas de Festo celebrare.

Additamenta

Rerum quæ expleto opusculo innotuerunt neque suis locis accuratius inseri potuerunt.

786.—Ad n. 702, 2.

Tres Missæ quæ in Solemnitate Omnium Fidelium

---

(1) Conf. S. R. C. 2788; 2941; 3146; 3922 § V. n. 2.

Defunctorum celebrari possunt, ordinantur modo sequenti:[1]

PRIMA Missa est, quæ inscribitur in Missali Romano die Commem. omn. fidelium defunctorum.

ALTERA, quæ ibidem habetur in Anniversario defunctorum cum Sequentia *Dies iræ* et Orationibus propriis (i. e. adaptatis).

TERTIA Missa quæ legitur in Missis quotidianis cum Sequentia *Dies iræ* et Orationibus propriis (i. e. secunda Or. adaptata).

Juxta mentem Summi Pontificis secunda Missa applicanda in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertia autem ad mentem ipsius Summi Pontificis.

N. B. — Sacerdos qui Missam cum cantu celebraturus est, Missam quæ prima est inter Missas Defunctorum (i. e. propriam hujus die) adhibeat, facta ei potestate anticipandæ alterius et tertiæ. *Const. Ap.*

---

(1) Decr. S. R. C. 11 Aug. 1915.

INDEX ALPHABETICUS.

Numeri designant numeros marginales seu paragraphos (non paginas); aliquando additur alter numerus subdivisionem indicans.

---

*Oct. privil. I ord. (Pasch. et Pent.) terminantur ad Nonan. Sabbati, quum festivitas inchoasse censenda sit, resp. Sab. S. et Vig. Pent., id quod apparet ex Missa.